




~~Q6-59~~

IO. BERNARDI KOEHLERI IC.  
INTERPRETATIONVM  
ET  
EMENDATIONVM  
IVRIS ROMANI  
LIBER SECUNDVS.



---

LIPSIAE  
APVD IO. G. EMMAN. BREITKOPF ET SOC.  
M D C C X C I I.





## LECTORI ERVDITO S.

In ipso tenuioris, quod vides, opusculi limite  
ne non longo sermone morabor Tua tempora,  
Erudite Lector. H abes nouum Interpretatio-  
num et Emendationum (quoniam ita nunc pla-  
cuit appellare) Iuris Romani Specimen: quo,  
vt priore illo Goettingae olim euulgato, cuius,  
si vitam Deus fecerit, repetita aliquando prae-  
lectione emendatior, vt spero, prodibit edi-  
tio; quo, inquam, corruptas aliquot leges  
emendare, aliasque ab Interpretibus non recte,  
vt mihi quidem videbatur, intellectas breui  
quadam ac dilucida interpretatione illustrare,  
imo et quae praeter scriptorum mentem inno-  
vata viderem ab aliis, incorrupta, qua possem,  
tueri sum conatus. Rectene et πρὸς Διόνυσον,

an

IV P R A E F A T I O .

an secus, Tui erit iudicii. Vale, Lector, meo-  
que de optimis literis bene merendi studio faue.  
Scribebam Lubecae, XIII. Calend. Nouembris  
MDCCLXXXIX.

---

INDEX

I N D E X  
C A P I T V M.

- |       |   |         |
|-------|---|---------|
| I.    | <i>Lacuna expleta in L. vlt. D. Si pars hered.<br/>pet. auctoribus Basiliis.</i>  | Pag. 1. |
| II.   | <i>Verbum, quod interierat incuria librarii, resti-<br/>tutum Vlpiano L. 5. §. 2. D. de Reb. eor. qui sub-<br/>tut. et item alterum eidem ICto L. pen. D. Si<br/>ex nox. caus. ag. Item Cicero libro primo de Offi-<br/>ciorum modo correttus, et item secundo de Legi-<br/>bus. Athenaeus item, et Rufianus.</i> | 5       |
| III.  | <i>Restituta duum locorum sententia L. 61. D. de<br/>R. V. et L. 18. §. 1. D. de Minor. mutatis vulga-<br/>ribus verborum interpunctis. Et de simili errato<br/>in verbis Theophrasti apud Rutilium Lupum.</i>  | 14      |
| IV.   | <i>Verus sensus L. 91. §. 6. D. de Legat. I. Si<br/>legetur res, cuius commercium legatarius non ha-<br/>bet, inutile esse legatum. Cuiacii correccio L. 40.<br/>D. eod. firmata.</i>   | 18      |
| V.    | <i>Explicatio et emendatio L. vlt. D. Commun.<br/>praed. Nihil mutandum in L. 11. D. de S. P. R.</i>  | 24      |
| VI.   | <i>De sententia L. 26. D. de Vulg. et pup. subst.</i>   | 31      |
| VII.  | <i>De fide questionis memorabilis Vlpiani locus<br/>in L. 1. §. 23. D. de Quaest. qui emendatur et ex-<br/>plicatur. Corrigitur item L. 1. §. 1. C. eod.</i>  | 35      |
| VIII. | <i>Intra annum lullus nubere cur prohibeantur<br/>viduae? Sententia L. 1. et L. 8. D. de His qui not.<br/>insam. Abrogasse Romani Iuris dispositionem</i>   |         |
|       | <i>Ponti-</i>   |         |

VI INDEX CAPITVM.

Pontifices t. 7. C. 2. qu. 3. c. pen. et ult. X. de  
Sec. nupt. De luctu propinquorum, iudicata Tri-  
boniani manu in L. 23. D. de His qui not. inf.  
Nihil mutandum in Paulo Sent. Lib. I. Tit. vlt.  
§. 13. Emendata L. 23. D. de Furtis. - Pag. 41

IX. E Digestis mendaie aliquot sublatae. Cicero  
de Officiis correctus. Item Suetonius duobus locis  
fide veteris libri. Columella restitutus. Plinii  
Iunioris lectio in Panegyrico asserta. Martialis  
complura emendantur, ab ingenio, aut a libro.  
Quaedam item Propertii, et Ouidii, et A. Sabini.  
Semel etiam corrigitur Anthologia Latina. - 61

X. Alii Digestorum, et Codicis etiam quidam loci  
restituti, partim de coniectura, partim ope exem-  
plarium et Βασιλικῶν. Paulus emendatus in  
Sententiis. Laetantius excutus glossa. Suetonii de  
vetere libro tosus castigatus. - - - - 108

---



IO. BERN. KOEHLERI  
INTERPRETATIONVM  
ET  
EMENDATIONVM  
IVRIS ROMANI  
LIBER SECUNDVS

---

C A P V T I.

*Lacuna expleta in L. vlt. D. Si pars hered.  
pet. auditoribus Basilicis.*

**M**utilus est hic Papiniani Florentiae, et in Vulga-  
tis quoque Noricisque exemplis locus, cui eam-  
dem nunc medicinam facere conabimur, explendo la-  
cunam versionis Basilicae fide, quam priore libro, Pa-  
riatore collato Legum Mosaicarum et Romanarum,  
praeflitisse arbitramur Callistrati in *L. 3. §. 5. D. de Testib. verbis.* Florentina responsi Papiniani scriptura  
est haec: *Cum heredis ex parte instituti filius, qui  
patrem suum ignorabat viuo testatore deceperit, par-  
tem hereditatis, nomine patris, ut absentis, admini-  
strauerit, et pecunias, distractas rebus, acceperit:*

Koehl, *Interpr. L. II.*

A

heredi-

## 2 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

hereditas ab eo peti non potest: quia neque pro here-  
de, neque pro possessore praedia possidet, sed, ut fi-  
lius, patris negotium curauit. Negotiorum autem  
gestorum actio ceteris coheredibus, ad quos portio de-  
functi pertinet, dabitur. Illud enim utique non est  
metuendum, ne etiam patris, a quo forte exheredatus  
est, teneatur heredibus, quasi negotia hereditaria ges-  
serit: cum id, quod administravit, non fuerit pa-  
ternae hereditatis. Nam et si negotiorum gestorum  
actio sit ei, cuius nomine perceptum est: ei, cuius  
nomine, restitui aequum est. Sed in proposito neque  
patris negotia fuerunt, qui esse desierat: neque pater-  
nae successionis, quae fuerunt alterius hereditatis.  
In his autem verbis, Nam et si neg. gest. actio sit ei,  
cuius nomine perceptum est: ei, cuius nomine, re-  
stitui aequum est, prima statim lectio monebat inter-  
cidisse quaedam descriptorum vitio, et firmabat suspi-  
cionem Vulgatae a Florentina lectione dissensus; nec  
aliud deinceps persuasit V. C. Herm. Cannegieterus  
*Obseru. Iur. Rom. Lib. II. Cap. 10.* qui Βραχυλογιαν  
esse ait ICTI, inque his, cuius nomine, repetendum ex  
antecedentibus, perceptum est, vt hoc voluerit scri-  
ptum Papinianus: si negotiorum gestorum actio cohe-  
redibus tantum detur, quorum nomine pecunia sit per-  
cepta, hanc pecuniam quoque iis, quorum nomine  
percepta fuerit, esse restituendam. Brencmannus in  
Tusca membrana ad marginem appictam notat in Go-  
thicam, quod mendum interpretatur; adesse item cru-  
cem et punctum. Ipsi visum erat more Taurelliano  
locum sic edere, perceptum est: — ei cuius nomine  
restitui aequum est; ut per errorem repetita videren-  
tur

tur a librario illa, *ei cuius nomine*, nec postea, uti  
decebant, deleta. Verum et hanc coniecturam, et,  
quas hoc referre nihil opus, Vlr. Huberi in *Eunomia*  
*Rom.* p. 292. et Guil. Bestii in *Rat. Emend. Leg. Cap.*  
*19.* correctiones impugnant tam veteres Editores, quam  
Basilica. Vulgares libri, cumque his, telle Brenckmanno,  
Haloander et Hugo a Porta in vtraque, quam vocat,  
annorum nempe 1547. et 1551. nisi quod hi, *cuius suo  
nomine*, exhibent pro *cuius nomine*; (ut et ipse hoc  
modo repperi scriptum in *Lugdunensi apud eumdem*  
*Hugonem et heredes Aemonis a Porta 1541.* et item in  
*Parisiis apud Carolam Guillard, viduam Claudii Che-*  
*vallonii, et Guil. Desboys 1552. decem minoris formae  
codicibus curata editione) Vulgares ergo libri mutilum  
pariter, ut clariss statim ostendam, sed non iisdem  
verbis, quibus membranae Etruscae, locum sic exhi-  
bent: *Nam et si neg. gest. affio sit ei, cuius nomine  
debitum exactum est: hoc tamen, quod alieno nomine  
perceptum est, restitui aequum est: estque praeterea*  
in Haloandri margine, *Al. ei, cui quod eius nomine  
debitum perceptum est, restitui aequum est: quae le-*  
*cio, ut iam in ora codicis sui admonuit Baudoza, est*  
*Ludov. Blaublommii apud Cheuallonium 1523. factae*  
*editionis. Integriora autem Digesta, si quid iudico,*  
habuere adhuc, cum ex Latio in Graeciam ius trans-  
ferrent, auctores Basilici, qui mentem Papiniani nostri  
*Tom. V. p. 653. B.* reddiderunt his verbis: *Εἰ καὶ τὰ  
μάλιστα γὰρ ὁ ἀπαιτήσας ὄνοματι με χρέος ὑπόκειται  
μοι τῇ τῆς δικιήσεως λογοθεσίᾳ, ἔμως ἐνταῦθα ἔτε  
τῷ πατρὸς, ἔτε τῆς κληρονομίας αὐτῆς διοικησιν ἔπει-  
ζε.* Nec dissentit Graecus Scholiastes *p. 662. C.* qui*

#### 4 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

totum locum Graece vertit, et interpretatus est inserta  
 paraphrasi hoc modo: Καν τὰ μάλιστα γὰρ ἡ νευτιό-  
 ρεμ γες εἰ μὲν ἐκεῖνων δίδοται, οὐ τούτοις ὀνόματι αἴπαι-  
 θητὸν τὸ χρέος, εἴθιτα δηλοντί πρὸς τῆς αἰληθείας αὐτῷ  
 ἐπωφείλετο τὸ αἴπαιτηθὲν ὀνόματι τῆς κληρονομίας,  
 δικαιῶν ἐτίναν ἐπείνα αἴποναθείας, οὐ ὀνόματι αἴπητηθή-  
 αἴπητηθή ὀνόματι τῶν κληρονόμων κληρονέμος δὲ εἰ μὲν  
 Τίτιος ὃ τε κομισαμένος πατήσει ἐπὶ γὰρ τῆς προσεμέ-  
 νης ζητήσεως ἔτε τῷ πατέρᾳ διέφερεν τὴν γενεαμένη διοικη-  
 σις, ὃς ἔτυχεν ἥδη πρὸ τῆς τετάρτωρος τελευτῆτας, ἔτε  
 τῇ τῷ πατέρος κληρονομίᾳ, καὶ εἰ ἐπὶ τῷ πατέρος πῶς  
 γάρ; ὅτι νομίζων ἔτι περιεῖναι τὸν πατέρα, διώκησεν.  
 Quibus lectis, dubium iam nemo, ut opinor, habe-  
 bit, quin ita scriperit Papinianus: *Nam et si negotiorum*  
*gestorum actio sit ei, cuius nomine debitum ex-*  
*actum est: hoc tamen, quod alieno nomine perceptum*  
*est, ei, cuius nomine, puta, perceptum est, restitui*  
*aequum est.* Facile vero vel me tacente intelligitur,  
 causam errori dedisse vocem, *nomine*, quae ter in *ea-*  
*dem oratione paucis interieclis recurrens fecit, ut in-*  
*termediis omittendis varie peccarent librarii.* Atque  
 ipsa haec lectionum hoc in loco varietas, cuiusmodi  
 differentiae etiam alibi reperiuntur in Vulgata editione,  
 documento est, non esse fidem habendam his, qui  
 cum Ant. Augustino *Emendat. Lib. I. Cap. 1.* et *Lib.*  
*III. Cap. 1.* ex unico Florentino libro omnes omnino  
 Pandectarum codices dimanaſſe perhibent: quos et se-  
 quitur nimio membranae Tuscae amore ductus Brenc-  
 manius noster *Hist. Pandect. Lib. III. Cap. 1.* et in  
*Epistola ad Franc. Hesellium.* Qua de re pluribus  
 exposuit Celeberrimus quondam ICtus, Chr. Vlr.  
 Gru-

Grupen Rer. et Antiquit. Germ. et Rom. Obsf. XVI.  
p. 285 seqq.

---

## C A P V T II.

*Verbum, quod interierat incuria librarii,  
restitutum Vlpiano L. 5. §. 2. D. de Reb. eor.  
qui sub tut, et item alterum eidem 1Cto L. pen. D. Si  
ex nox. cauf. ag. Item Cicero libro primo de Of-  
ficiis hoc modo correctus, et idem secundo de Le-  
gibus. Athenaeus item, et Rufiuianus.*

**V**lpianus in L.5. §.2. D. de Reb. cor. qui sub tut. Si  
pupillus alienum fundum bona fide emptum pos-  
fideat: dicendum puto, inquit, ne hunc alienare tu-  
tores posse. Ea enim, qua quasi pupillaris vero dis-  
trahitus est, venditio valet. Ita editum est caput illud  
Florentiae. Et in Annotatis ad vocem, qua, Franc.  
Taurellus: Sic visum rectius, i. venditione. In P.  
quae. Quod autem sequitur; vero, hoc est vere. An  
vero pretio? Vulgati autem codices et Norici, Etenim,  
si quasi pupillaris distractus est, venditio non valet.  
Quae quomodo alii in Florentino ad sanitatem tenta-  
rint reducere, alii explicando ad sententiam aliquam  
revocare sint conati, vt Sammetus V. C. in Recept.  
Leſt. ad Iauch. Disp. II. Cap. 14. Sylloges eius  
Opus. p. 152. et Ill. Püttmannus Interpret. et Obseru.  
Cap. 7. §. 4 longum est dicere. Nuper doctissimus  
Herm. Cannegieterus Obseruat. Jur. Rom. Lib. II.  
Cap. 16. seruata reliqua scriptura Florentina, negotio-

## 6 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

nem tamen inserendam putabat superponendo linea-  
lam literae hoc pacto, *venditio valet*, vt esset, *vendi-  
tio non valet*. Verum non inuenit Brencmannus, quod  
ex Notis eius vberioribus MSS. ad Pandectas olim mi-  
hi ad hunc locum annotasse reperio, in septem manu  
exaratis abutiuam particulam. Itaque sequendum ego  
et hic arbitror librorum optinum; sed et reuocata vo-  
ce, quam facile interceperunt duae ultimae verbi ante-  
cedentis syllabae, sic locum esse constituendum: *Si  
pupilus alienum fundum bona fide emptum possideat:  
dicendum puto, ne hunc alienare tutores posse.* Ea  
enim, qua quasi pupillaris, tutoris vero, fundus pu-  
ta, quem sciens quasi pupillarem vendidit, *distractus  
est, venditio valet*. Atque ita de opinione iam cor-  
rexeram Vlpianum, cum viderem sic habere disertum  
Basilicum Tom. V. p. 125. C. *Eἰ δὲ πεῖγμα τῇ ἐπι-  
τρόπῳ ὡς ὁρφανοῦ ἐκπομπῇ, ἔργωται.* Et Scholia-  
stes p. 147. A. *Μήτε ἀλλότριος ἀγρὸς, ὃν πίστει καλὴ  
νέμεται ὁ ἄνθετος, ἐκπομπῷ, εἰ μὴ τῇ ἐπιτρόπῳ  
ἐστιν.* Qui et post paulo, cum dixisset, neminem er-  
rantem rem suam amittere, *Δυνετὸν οὐκ ἐπὶ τῇ παρόν-  
τος, inquit, ὑπεθέθαι, ὅτι εἰδὼς τὸ ἴδιον ὡς τῇ πε-  
πίλᾳ πέποικεν.*

Nihilo autem sanior videtur esse hoc, quem mo-  
do ad integratem restituimus, alias eiusdem Vlpiani  
locus in L. pen. D. *Si ex nox. caus. ag.* cuius haec  
sunt verba: *Si seruum in eadem causa sistore quidam  
promiserit, et liber factus sistatur: si de ipso contro-  
versia est capitalium actionum, iniuriarumque nomine,  
non recte sistitur: quia aliter de seruo supplicium et  
verberibus de iniuria satis sit, aliter de libero vindic-*

81a

*Eta sumitur, vel condemnatio pecuniaria.* Ita legitur apud Florentinos. In Norico autem et Vulgaribus editis, et in scriptis Brencmanno visis quod extat, *supplicio, pro supplicium*, id a correctore videtur profectum, nec probauerim cum Noodtio *Comment. ad D. h. t. p. 49. ed. Colou.* qui et verba, *de iniuria, quae absunt ab Editionibus Haloandri et Hugonis a Porta,* sine causa delet, cumque Schultingio *ad Ηεωτρα Pan-deet. p. 160.* Hub. Greg. van Vryhoff *Obseruat. Iur. Civ. Cap. 6.* legis quidem sententiam, cui non aduersatur *L. 1. D. de Poen.* bene explicans, nihil mutandum ait in codice Etrusco, sed ὡς ἐν παρεπίδησι possum accipiendum esse illud, *et verberibus de iniuria satis fit.* At quis ferat tam inconcinnum loquendi modum, nec ullo similis structurae exemplo ab eruditissimo Viro firmatum? Nec multo felicius, meo quidem iudicio, quod et similiter constructionem duram habet, Ill. Püttmannus in *Decade Coniectur. §. 4. Sylloges Varior. p. 94.* syllaba ex simili vicina repetita legit, *cum et verberibus de iniuria satis fit;* licet id ipsum placeuerit quoque, qui Püttmannum non legerat, V. C. Herm. Cannegietero *Obseruat. Lib. II. Cap. 13.* Mihi suspicio, ne scribendum, *quia aliter de seruo supplicium sumitur, et verberibus de iniuria satis fit,* voce inserta, quae ut excideret, in causa fuit similitudo verbi praecedentis. Nec aliter scriptum videntur habuisse Graeci, cum verterent *Tom. I. p. 365 B.* οὐ μολογήσας δέλοι παρισάν, ἐὰν ἐλευθεράθενται παρασῆση, εἰ μὲν κεφαλικόν, ή ὑβρίς ἢν τὸ ἀμάρτημα, ὁ δοκεῖ παρισάν· ἄλλως γὰρ ὁ δέλος τιμωρεῖται κοινωφεονίζεται, κοινῶς ἄλλως ὁ ἐλεύθερος.

## 8 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

Additione autem dictionis vnius, quae exciderit ob similitudinem praecedentis verbi, corrigi etiam debet, vt mea fert opinio, locus ille deprauatus apud Ciceronem *Lib. I. de Offic. Cap. 7.* vbi de origine possessionum agens, *Ex quo fit*, inquit, *vt ager Arpinas Arpinatum dicatur, Tusculonus Tusculanorum:* similisque est priuatarum possessionum descriptio. *Ex quo quia suum cuiusque fit;* eorum, quae natura fuerant communia, *quod cuique obtigit, id quisque teneat.* *Ex quo si qui sibi appetet;* (sic enim legendum omnino cum libris et de sententia Car. Langii; *vt sit,* si quis amplius petat, plus velit, quam teneat, quae vis est illius verbi: non, *vt edidit nuper,* libris quibusdam primitus euisis auctoribus, praeuentibusque Pearcio et Facciolato, eruditissimus Iac. Frid. Heusingerus, *Eo si qui sibi plus appetet) violabit ius humanae societatis.* Sed quoniam, *ut praelare scriptum est a Platone,* non nobis solum nati sumus, ortusque nostri partem patria viudicat, partem parentes, (haec duo verba cum aliis, dissentiente quamvis eodem Viro doctissimo, ex Platonis *Epist. 9. ad Archyt.* adscribenda censui; quia et in sequentibus parentum meminit: et contractius extulit idem *Lib. II. de Fin. C. 14.* Atque, *vt ad Archytam scripsit Plato,* inquiens, *non sibi se soli natum meminerit, sed patriae, sed suis;* *vt peregrina pars ipsi relinquatur) partem amici;* atque, *ut placet Stoicis,* quae in terris gignuntur, *ad usum hominum omnia creari;* homines autem hominum causa esse generatos, *vt ipsi inter se alii aliis prodeesse possint: in hoc naturam debemus ducent sequi, communes utilitates in medium afferre, mutation-*

tatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus,  
tum opera, tum facultatibus divincire hominum inter  
homines societatem. Eamque scripturam tamquam  
*ανάρτησθεν* quoddam tuetur, sed Cicerone, si quid  
iudico, invito ac nolente, Io. Mich. Heusingerus. Ego  
vero sensum omnino puto exposcere, ut legatur ad-  
scripta voce, atque, ut placet Stoitis, quae in terris  
gignuntur, ad usum hominum omnia creari constat:  
itaque malim, quam cum Pearceo reponi, constatque,  
ut placet Stoici. Legisse vero id ipsum apud Cicero-  
nem visus est etiam Laelius, cum *Instit. Diuinari.*  
*Lib. VII. Cap. 4.* ita scriberet: *Videamus ergo, quae*  
*ratio fuerit fingendi generis humani, quoniam constat,*  
*id quod Stoici aiunt, hominum causa mundum esse fa-*  
*briatum.* Et sic Suetonii locum in *Domitione Cap.*  
*3.* verissime, meo quidem animo, restituit Henr. Io.  
Arntzenius V. C. *Miscellaneor.* *Cap. 6.* *Inter initia*  
*principatus quotidie secretum sibi horarum spatium su-*  
*mere solebat, adscripta ex Ioannis Sarisberiensis *Lib.**  
*III. de Nug. Curial.* *Cap. 14.* voce, *spatium;* vbi et  
illud, *horarum, quod mutarunt alii in horarium, ser-*  
*vat etiam Codex Suetonii MS. cuius excerpta habeo,*  
*Berolinensis regius.* Apud Tullium autem sub finem  
eiusdem *Cap. 7.* dubium mihi non est, quin legendum  
sit, ordine verborum immutato, *quam si patriciam, aut*  
*parentes, aut amicos deserat.*

Simile, ni fallor, infedit mendum codices Cicero-  
nis *Libro II. de Legib.* *Cap. 17.* quod et miror Viris  
doctis nondum sublatum. Non enim, Quinte, recte  
existimamus, respondet fratri, qui quam saepissime

10. INTERPRETAT. ET EMENDAT.

impios poenam effugere dixerat, Cicero, quae poena  
divina sit; et opinionibus vulgi rapimur in errorem,  
nec vera cernimus. *Morte*, aut dolore corporis, aut  
luctu animi, aut offendit iudicii, hominum miseras  
ponderamus; quae fateor humana esse, et multis bo-  
nis viris accidisse: sceleris est poena tristis, et praec-  
ter eos euentus, qui sequuntur, per se ipsa maxima  
est. In quibus postremis cum manifesta depravatio  
sit, ut ego quidem arbitror; a Io. Iortinio *Miscell.*  
*Obseruat. Vol. III. Tom. I. p. 68.* iubemur interpo-  
nere, sceleris scelus est poena tristis. Ego vero, inter  
haec itidem, sed alia et alio loco interiecta voce, po-  
stulante ita verborum ordine et nexus, totum refingo  
istum in modum: *Morte*, aut dolore corporis, aut lu-  
ctu animi, aut offendit iudicii, hominum miseras  
ponderamus; quae fateor humana esse, et multis bonis  
viris accidisse: sceleris est poena vita tristis; et praec-  
ter eos euentus, qui sequuntur, per se ipsa maxima  
est, poena nimirum. *Das Leben des Lasterhaften*  
*selbst ist ihm die grösste Strafe.* Quam verissimam  
sententiam confirmati nos dudum sumus hic exiisse e  
manu Ciceronis. Pariter vitam tristem dixit et Phae-  
drus *Lib. III. Fab. vlt.*

Qui natus est infelix, non vitam modo  
Tristem currerit, verum post obitum quoque  
Persequitur illum dura fati miseria.

Et Plinius *Nat. Hist. Lib. XXVIII. Cap. 1.* Qui er-  
go dixerimus herbas, et florum imagines, ac pleraque  
inuentus rara ac difficultia, idem tacebimus, quid in ipso  
homine proficit homini, ceteraque genera remediorum  
inter

inter nos viventia? Cum praefertim, nisi tarenti doloribus morbisque, vita ipsa poena fiat. Atque ita idem fere hoc loco Cicero, quod Seneca Epist. 97. Ita est: tua scelera esse possunt, secura non possunt. Hoe ego repugnare sedetiae nostrae, si sic expediatur, non iudico. Quare? quia prima et maxima peccantium est poena, peccasse. Nec ullum scelus, licet illud fortuna exornet muneribus suis, licet tueatur ac vindicet, impunitum est: quoniam sceleris in scelere supplicium est. Sed nihilominus adhuc ei illa (sic enim corrigendum censeo mendosum, et haec et illae) secundae poenae premunt ac sequuntur, timore semper et expaescere, et securitati diffidere. Ac par modo iampridem in Biblioth. Comm. German. Vol. XLVIII. Tom. II. p. 555. interpolandum esse diximus insignem de morte Ciceronis Vellei Paternuli locum Lib. II. Cap. 66. Nihil tamen egisti, M. Antonius: (cogit enim excedere propositi formam, operis erumpens animo ac pectore indignatio) nihil, inquam, egisti, mercedem coelestissimi oris, et clarissimi capitatis abscisi numerando, auctoramentoque funebri ad conservatoris quandam reipublicae tantique Consulis invitando necem. Rapuisti tu M. Ciceroni lucem sollicitam, et aetatem senilem, et vitam miseriorem te principe, quam sub te triumviro mortem: famam vero gloriamque factorum atque dictorum adeo non abstulisti, ut auxeris. Vinit, viuetque per omnem seculorum memoriam. Dumque hoc vel forte, vel prouidentia, vel utcumque constitutum rerum naturce corpus, quod ille pene solus Romanorum animo vidit, ingenio complexus est, eloquentia inluminauit, manebit

inco-

## 12 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

incolume, comitem aevi sui laudem Ciceronis trahet; omnisque posteritas illius in scripta mirabitur, tuum in eum fabium execrabitur; citiusque mundo genus hominum, quam Cicero excidet. Nunc mendose est, vt habuit unicum illud, ex quo Velleius prolatus est, Murbacense exemplar, citiusque in mundo genus hominum, quam cedet. Sed confirmare aliquo modo nunc addimus emendationem nostram Propertium, ex quo Velleius videtur colorem duxisse, *Lib. III. Eleg. I. extit. his versibus*:

Fortunata, meo si qua es celebrata libello:  
 Carmina erunt formae tot monumenta tuae.  
 Nam neque Pyramidum sumitus ad sidera duci,  
 Nec Iouis Elaei caelum imitata domus,  
 Nec Mausolei diues fortuna sepulcri  
 Mortis ab extrema conditione vacant.  
 Aut illis flamma, aut imber subducet honores,  
 Annorum aut isti pondera vieta ruent.  
 At non ingenio quae situm nomen ab aeo  
 Excidet: ingenio fiat sine morte decus.

Obiter autem nunc emendemus loci occasione lacunosum etiam locum Athenaei *Lib. XIV. p. 634. F.*  
 Δίδυμος ὁ γεραμματίνος ἐν ταῖς πρὸς Ἰωνα ἀντεξηγήσεσιν μάνγαριν ἀνδὸν ἀπέι τὸν κιθαριζῆσιν, ἐν μνημονίεσιν Ἀριστόζενος ἐν πρώτῳ περὶ ἀνδῶν τρήσεως, λέγων πέντε γένη ἔναις ἀνδῶν, παρθενίεσ, παιδικὲς, καθαριστηίεσ, τελείεσ. Scribendum voce interposita, et leviter immutata postrema, παρθενίεσ, παιδικὲς, ανδηίεσ, κιθαριστηίεσ, δακτυλικὲς. Ita enim et ipse Athenaeus supra de Alexandrinis *Libro IV. p. 176. E.*

Αλλα

Αλλὰ καὶ περὶ αὐλάς εἰσι μετωπάτατοι· ἐ μόνον τὰς παρθενίες καλεμένες, καὶ παιδικές, ἀλλὰ καὶ τὰς αὐδρεῖς, (οἵτινες καλεύται τέλεοι τε καὶ ὑπερτέλεοι) καὶ τὰς οὐθαρισηρίες δὲ, καὶ τὰς δακτυλικές. Et hoc tam apertum aciem effugisse miror non magni Casabonii solum, qui intactum locum praeterit, verum erudit etiam Britanni in *Miscellan. Observat. Vol. I. Tom. III. p. 313.* qui describi iubet, οὐθαρισηρίες, τελέες, καὶ δακτυλικές, cum tamen hic idem etiam posteriorem Athenaei locum annotauit.

In transitu denique et illud adiiciatur mendorum eiusdem generis exemplum ex Julio Rufiniano in ipso initio libelli de *Schematis Dian.* p. 264. *Schemata dianoeas*, inquit, *id est*, *figuram sententiae intuentibus*, *aliquo a vulgari et simplici cum ratione mutomur*. Ita edidit ad primae Rhenani editionis fidem doctor olim meus nec sine grata memoria mihi colendus, Cel. Ruhnkenius, cui nullus subest sensus, quodque ex ingenio et conjectura mutauerat istum in modum Rob. Stephanus: *Schemata dianoeas, id est, figuram sententiae intuentes aliqua a vulgari et simplici oratione mutuamur*. Ego vero miror, remedium non tulisse huic viceri peritissimum Ruhnkenium ex Quintiliani *Lib. IX. Inst. Orat. Cap. i. p. 758. Burm.* ex quo, cum descripserit eum manifeste Rufinianus, reponendum procul dubio: *Schemata dianoeas, id est figurae sententiae, cum in sensu aliqua a vulgari et simplici specie cum ratione mutantur*.

## CAPVT

## C A P V T III.

*Restituta duūm locorum sententia L. 61. D. de R. V. et L. 18. §. 1. D. de Minor. mutatis vulgaribus verborum interpunctis. Et de simili errato in verbis Theophrasti apud Ruilium Lupum.*

**I**nterpunctionum vel minima vitia haud raro in Iure nostro praebuere errandi causam melioris etiam noxae Interpretibus. Cuius rei exemplum est primum ille Iuliani locus in *L. 61. D. de Rei vind.* qui vulgo ita legitur: *Minitius interrogatus, si quis nauem suam aliena materia refecisset, num nihil minus eiusdem nanis maneret? respondit, manere.* Sed si in aedificanda ea idem fecisset, non posse, *Iulianus notat: nam proprietas totius nauis, carinide tauram sequitur.* Ex verbis postremis negat (vt alios mittam) sensum elici idoneum Franc. Rygerbos *Obseruat. Iur. Rom. Fascic. Cap. 1.* nisi verba illa, *Sed si in aedificanda ea idem fecisset, non posse Iulianus notat,* includantur parenthesi, et sequentia referas non ad Iuliani notam, sed ad Minicii responsum. Ego perperam distinctum video, non quidem in Florentino, nec in Vulgatis Noricisque codicibus, qui omnes, quotquot euoluere mihi contigit, locum hunc rectius diuisum exhibent, sed in editionibus a Dion. Gothofredo curatis, et in Sim. Leeuwenii, quam vitiosior etiam a punctis Goettingensis, vt solet, sequitur; corrigendum autem ait ex antiquis illis, vt sit separata oratio, ad hunc modum:

dum: *Minicius interrogatus, si quis nauem suam aliena materia refecisset, num nihilo minus eiusdem nauis maneret; respondit, manere: sed si in aedificanda ea idem fecisset, non posse.* Julianus notat: nam proprietas totius nauis, carinae causam sequitur. Ita vero non notat, siue vellicat Minicum in nota adiecta Julianus; sed bene esse responsum monet, si quis nauem suam refecisset ex alienis tabulis, suam tamen et quidem totam manere, hac addita ratione, quod, cuius carina fuisset, id est fundus, siue infima pars navis, cui illa inaedificatur, eius sint etiam tabulæ omnes reficiendae naui adhibitae. Atque hac de Minicii Julianique verborum interpretatione conuenire mihi quoque cum Azone et Accursio, verbo indicasse sufficiat.

Alter locus Vlpiani est in *L. 18. §. 1. D. de Minor. XXV. ann.* qui ab interpunctione laborat non in nouitiis solum codicibus, sed et in antiquioribus Vulgatis, et in Goettingensibus etiam libris. *Minor autem magistratus, inquit, contra sententiam maiorum non restituet.* Sin autem princeps sententiam dixit, perraro solet permettere restitutionem, et induci in auditorium suum (hoc est, ne quis forte vocem in *L. 41. §. 1. D. de Recept. arb.* vbi cognitionem cause notat, cum libris editis quibusdam mutandam putet in arbitrium; locum cognoscendis ac iudicandis causis destinatum: quo sensu, cum et Hebreis οὐσῶν sit pro iudice, etiam ἀκροατήσιον a D. Luca dicitur *Aet. XXV. 23.* et idem apud Diodorum Siculum, ut ego arbitror, *Vol. I. p. 83. Wesseling.* προετίθησαν πατέρες νόμου τῷ τετελευτηκότι ἀκροατήσιον τῶν ἐν τῷ βίῳ πραχθέ-

των,

## 16 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

$\tau\alpha\nu$ , quamvis ibi Wesselingius ex ora H. Stephani et scriptis duobus  $\kappa\epsilon\tau\eta\zeta\sigma$  dederit vice  $\alpha\pi\gamma\alpha\tau\eta\zeta\sigma$  eum, qui per infirmitatem aetatis captum se dicat; dum ea, quae pro causa sunt dicta, non allegat, vel ab advocatis se proditum queratur. Cuius loci ut mittam quadruplicem ab Accursio proditam interpretationem, qui tamen in eodem, ut aiunt, luto semper haerere videatur, G. Budaeus *Annotat. Prior. ad P. p. 418.* verborum collatione peccatum censet, legendumque, dum ea, quae pro causa sunt, non dicta allegat: et sic editit Haloander, Budaeum pro more secutus, cum eo Baudoza, probante etiam Herm. Noordkerkio *Dec. Observ. Cap. 4.* et Wielingio *Lection. Iur. Civ. Lib. II. Cap. 9. §. 4.* Franc. Car. Conradus autem, improbans I. G. Hoffmanni *Meletem. in P. Diff. V. §. 5.* suspicionem, allegat, id est allegata, pro recepta lectione interpretanda margini exemplaris sui, ex quo descriptas habeo eius annotationes Ill. Iugleri beneficio, adscriperat haec: *Id est, dum ea, quae pro causa iam sunt dicta, non allegat, sed omissa.* Ego vero, ut plane scriptum repperi in Florentinis excusis, sicilicum ita transferendum moneo, ut collocetur ante, non post vocem dicta, sitque, dum ea, quae pro causa sunt, dicta non allegat; hoc est, dum omissa esse causatur, quae causae conductura erant. Consimili ratione traectione negantis particulae cum emphasi quadam vtuntur interdum Graeci. Ut Arrianus *Lib. III. Comment. Epictiet. Cap. 24.* Καὶ γὰρ αἰσχεὸν εί, τὸ φαρεῖν μὴ ἔχειν. Ita vero bona ac plana est, contextu vel ordine verborum nulla ex parte immutato, loci Vlpianei nostri sententia.

Simi-

Similem emendationem recipit Theophrasti apud Rutilium Lupum locus *Lib. I. Cap. 6.* Item *Theophrastus dicitur dixisse: Prudentis esse officium, amicitiam probatam appetere, [non] appetitam probare.* Ita edidit Ruhnkenius V. C. vnicis inclusa, quamque omnem dicti sensum inuertere putabat, negatione. Sed haud dubie erat pungendum, *Prudentis esse officium, amicitiam probatam appetere; non, appetitam probare.* Hoc enim dicit, prudentis non esse, cum amauerit, demum iudicare; sed iudicare, antequam amet. Id quod clarum omnino ex ipsis, quae hic vertit Rutilus, Theophrasti verbis, quaeque adscripsit ex Plutarcho *de Fratern. Amor.* etiam Ruhnkenius, vbi, Οὐ φιλεῖνα δεῖ κρίνειν, οὐλακά κρίνεντα φιλεῖν. Et ut mitam alia in hanc sententiam dicta, quae inibi annotauit Vir idem praestantissimus, cum Theophrasti etiam mentione Seneca *Epist. 3.* Post amicitiam credendum est, ante amicitiam iudicandum. *Isti vero praepostere officia permiscent, qui contra praecepta Theophrasti, cum amauerint, iudicant; et non amant, cum iudicaverint.*

---

## C A P V . T I V .

*Verus sensus L. 91. §. 6. D. de Legat. I. Si legetur res, cuius commercium legatarius non habet, inutile esse legatum. Cuiacii correctio L. 40. D. eod. firmata.*

**S**ententiam, quae ex libro trigesimo sexto Digestorum Iuliani refertur in *L. 91. §. 6. D. de Legat. I.* non recte mihi constituisse videtur summus olim Academiae Batavae Lugdunensis ICTus, Io. Conr. Rückerus *Interpretat. Lib. II. Cap. 2.* Ait Julianus, vt in omnibus, quae videre contigerit, exemplaribus locus hic conscriptus extat: *Si mihi seruus a te herede legatus fuerit, et eidem seruo aliquis legauerit; et viuo eo, qui mihi seruum legauerat, dies legati seruo datus cesserit: confessim id legatum hereditati adquiritur.* Et ideo quamvis postea moritur is, qui seruum mihi legauerat, *ad me id, quod seruo legatum est, non pertinebit.* Difficultatis autem nonnihil in hoc est, quod Julianus, vt doceret, legatum seruo relictum acquiri eius domino, id acquiri dixit domini adhuc viventis hereditati: quin id ipsum iam Iac. Cuiacio alienum adeo a sensu atque vsu communi visum est, vt satis regie, quod solvere non poterat, abscederet in *Recitat. ad Iuliani Libros XXXVI. Digestor. et in Observat. Lib. XXV. Cap. 40.* nouam plane legem substituens Juliano, legendō mortuo eo pro viuo eo, ac deinde pro moritur is, reponendo atdeatur hereditas eius. Verum hac emendatione Cuiaciana, quam nec ullum recentio-

centiorum ab eo Interpretum secutum comperio, haud quicquam melior mihi videtur Rückeri nihil immutantis opinio, loqui Iulianum de testatore illo, qui non proprium, sed alienum seruum, et quidem hereditarium, siue iacentis alicuius hereditatis legauit: plane enim quod praecipuum hac in causa est, et ex quo pendet responsi ratio, omisisset ICtus: quod certe non fecit subtilissimus breuitatis artifex, Iulianus. Reclius igitur iam Accursius noster, quod omnino et res ipsa, et sententiarum *anotētōia* postulare videntur, proprium quidem seruum legatum putat; sed *hereditatem accipit* pro bonis, quae nunc sunt, spe futurae hereditatis. Quod ne dubites, neque legas cum Greg. Maiansio *Disputat. Iur. Tom. II. p. 46.* *heredi tibi, pro hereditati;* non grauabor Iuliani verba cum succincta paraphasi, quemadmodum et Rückerus fecit, iterum hic adscribere. *Si mihi, inquit, per testatorem Titium,* qui te scripsit heredem, *seruus eiusdem Titii, Stichus,* a te herede legatus fuerit, et eidem seruo aliquis, puta Maeuius, legauerit; et viuo eo, qui mihi seruum legauerat, nempe Titio, dies legati seruo dati ceferit, aut existente conditione, aut mortuo Maevio, qui Sticho legauerat: *confestim id legatum hereditati,* futurae scilicet, vel futuro heredi Titii, *adquiritur.* Et ideo quamvis postea moritur is, qui seruum mihi legauerat, Titius nempe testator, iamque adeo seruus ipse ab herede Titii praestari mihi debeat; tamen *ad me id, quod seruo legatum est,* Titioque viuo adhuc, eiusque heredi fuit acquisitum, cum dies legati cederet, *non pertinebit,* sed apud heredem Titii manebit. Haec mens, si quid judico, illo loco Iuliani: nec

## 20 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

video, quae excogitari queat interpretatio verbis et structurae orationis conuenientior. Nec offendit, quod ait acquiri legatum seruo Titii relictum, si dies viuo adhuc Titio cedat, Titii hereditati: in quo elegans est ICti verborum admodum parci *βραχυλογια*, cui cum esset proximum dicere, legatum seruo relictum acquiri eius domino, percommode verbo *hereditatis* vsus est, quo indicaret, post mortem Titii legatum in bonis heredis Titii, non eius, cui seruus fuerat a Titio legatus, futurum. Et sic Iulianum etiam voce vsrum video in L. 16. §. 2. D. Quand. dies leg. ced. Quod si seruus, cui ususfructus legatus fuerit, inquit, ipse legatus non fuerit: dicendum est, usumfructum ad hereditatem, hoc est, ad heredem eius, cuius seruus fuerat, pertinere, eo quod dies eius ante aditam hereditatem non cesserit. Miror autem, eruditissimo Viro posteriorem legis nostrae partem, retentia Accursii interpretatione, inconcinnam plane atque indignam visam ICto: satisne enim credibile, quaesitum aliquando a Iuliano fuisse, an cum iplo servo legato post mortem testatoris deberetur etiam legatum servo relictum, cuius dies viuo priore testatore cesserat? Respondit breviter de iure aperto, vt et saepe alii, legatum non deberi, sed pertinere ad heredem eius, qui seruum legauerat; cui viuo scilicet iam acquisitum fuerat legatum seruo suo relictum. Neque vero sic plane otiosa sunt in hac legis sententia, vti Rückero visum, verba illa, *a te herede*: monet enim statim Iulianus, legatum seruo relictum confessim acquiri hereditati Titii, adeoque non ad me transiturum, sed ad Titii heredem.

Adda-

Addamus hic vel supplendi capitinis breuioris brevem de legato, cuius commercio legatus deslituitur, obseruationem. Ill. Püttmannus *Aduersar. Iur. Vniu.* Lib. I. Cap. 3. post alios, et si non ipsam rem legatam, tamen rei aestimationem deberi censet: ego, quod verbo iam monui, cum de libro Püttmanni sententiam diccerem in *Biblioth. German. Comm. Tom. XXX. p. 413.* cum Corn. van Eck *Princip. Iur. Ciui. sec. ord. Dig. tit. de Legat. §. 18. Tom. II. p. 232.* Gregor. Maiansio *Disputation. Iur. Tom. I. p. 351.* Sam. Cocceio *Iur. Ciui. Controu. L. XXX. Qu. 14. Tom. II. p. 342 seqq.* aliisque sine distinctione inutile esse tale legatum aut fideicommissum, nec rei aestimationem consequi posse puto, quibus eiusdem rei prohibitum est commercium, ut si fundum aliquis, vel rem immobilem Iudeo legauerit; ne scilicet fraus fiat legibus. Hoc enim planissime, si quid video, dixit Paulus *L. 49. §. 2. D. de Legat. II. Labeo refert,* inquiens, *agrum, cuius commercium non habes, legari tibi posse, Trebatium respondisse: quod merito Priscus Fulcinius fatsum esse aiebat.* Item Vlpianus *L. 7. §. 16. D. de Paci.* Et generaliter quotiens paciū a iure communi remotum est, seruari hoc non oportet, nec legari: nec iuriandū de hoc adactū, ne quis agat, seruandum Marcellus libro secundo *Digestorum* scribit: et si stipulatio sit interposita de his, pro quibus paciū non licet, seruanda non est, sed omni modo restinenda. Quo loco non video, cur omnium librorum auctoritate comprobataī lectionē immutādam censeant. Ita enim et Graecus Interpres *Tom. I. Βασιλικῶν p. 723. A.* Παρὰ τὰ ποιῶν νόμιμα συμφωνεῖ ἐπὶ ἔξ-

## 22 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

ειν, οὐδὲ ληγαστεύειν, καὶ ἐάν τις ὄμοσῃ ἐπὶ τοῖς τοιέ-  
τοις μὴ ἐνσάγειν, ἐπὶ ἔργοισι. Quae descripsit Harmen-  
nopus L. i. Promt. Tit. 9. §. 3. Et Scholia fest p. 755. B.  
exempli illustrans, Οἶον, inquit, τῷ αἴρετινῷ & δύναμαι  
ληγαστεύειν. Vlpianus autem aperte hoc dicit, contra  
vīm legum et auctoritatem iuris neque pactum valere,  
neque legatum, neque iusiurandum, neque stipulationem.  
Et suffragatur iis ea in re Theophilus Paraphr. Inst.  
Lib. II. Tit. 20. §. 4. cuius verba haec sunt: εἰ δὲ τις  
τελευτῶν τοιεῖτον μοι ληγαστεύειν πρᾶγμα, ἐφ' ᾧ ποι-  
μέντζιον ἐπὶ ἔχω, τετέσι δίκαιου τῷ κτᾶθαι αὐτῷ, εἰ  
μόνον ἐπὶ ἐποφλιθίσματι αὐτὸν τὸ καταλεγόθεν, αὐτὸν  
οὐδὲ τὴν τέττα διατίμησιν αἴπατεν δυνήσομαι· τι γάρ,  
ὅτι ἐληγαστεύει τις ἐροὶ τὸν πάριπτον τὸν Μάρτιον, (τό-  
πος δὲ ἐπὶ δημόσιοι πλατείαι τῆς Ρώμης) ή τὴν Βασιλι-  
κὴν, ή τὸν ναὸν, ή τὸ δημοσιαῖς χρέοις αφιερωθέντας,  
οἷον Θέατρον, κυνῆγον, ἵππικον; πάντα γάρ τὰ τοιε-  
τέροις ληγάλα αὐξηχεῖται εἶνιν. Et simile huic sen-  
tentiae est etiam illud Pomponii L. 9. §. vlt. D. de  
Donat. Donari non potest, nisi quod eius sit, cui do-  
natur. Item quod de inutili stipulatione, si quis rem  
stipuletur, cuius commercium non habet, scriptum est  
ab Vlpiano in L. 34. D. de V. O. his verbis: Multum  
interessit, utrum ego stipulerem rem, cuius commercium  
habere non possum, an quis promittat. Si stipulerem  
rem, cuius commercium non habeo: inutilem esse stipu-  
lationem placet. Si quis promittat, cuius non com-  
mercium habet: ipsi nocere, non mihi. Constat enim,  
a contractibus ad ultimas voluntates, et e conuerso va-  
lere argumentum, nisi diuersitatis aliqua subsit ratio,  
L. 4. in f. C. de V. S. L. vlt. C. de Legat. Non ob-  
stat

stat etiam *L. n<sup>o</sup> 4.* §. 6. *D. de Legat. I.* nam ibi ab Vlpiano proponitur res legata licite, id est capaci, et extrinsecus accidisse ob animi corporisue, vel aliud vi-  
tium, vel impedimentum, vt capi aut possideri non  
possit: quo casu aestimatio debetur. Nec obstat *L.*  
*n<sup>o</sup>. 16. D. de Legat. III.* vbi, militia seruo alieno  
legata a testatore, qui seruum esse sciebat, idem Domi-  
nus dicit domino aestimationem deberi. Quamvis  
enim eius incapax sit seruus, ea tamen huius est legati  
natura, vt in quantitate potius, quam in corpore con-  
sistat, et aestimationem contineat, *L. 49. §. 1. D. de*  
*Legat. II.* Ex verbis autem Vlpiani *L. 40. D. de*  
*Legat. I.* Sed si res aliena, cuius commercium legatarius  
non habet, ei, cui ius possidendi non est, per  
fideicommissum relinquatur: puto aestimationem debe-  
ri; demi opinor debere cum Cuiacio *Notis Secund.* ad  
*Inst. tit. de Legat.* et in *Comment.* ad *L. 34. D. de*  
*V. O.* negandi particulam post vocem, *possidendi*, vt  
sensus sit: utile esse fideicommissum, et aestimationem  
deberi, si ius sit fideicommissario possidendi rem sibi  
relictam a legatario, quam tamen ipse legatarius para-  
re non possit.

## C A P V T V.

*Explicatio et emendatio L. vlt. D. Commun.  
praed. Nihil mutandum in L. II. D. de  
Servit. praed. rust.*

**Q**uae sit *L. vlt. D. Commun. praed.* sententia, breviter nunc exponemus: est enim et in hac lege, meo quidem iudicio, interpretatione peccatum ab eodem illo, a quo et superiore capite dissensimus, ICto eximio. *Receptum est*, inquit in *P. Florentinis Paulus*, *ut plures domini, et non pariter cedentes, seruitutes imponant, vel adquirant: ut tamen ex nouissimo ab tu etiam superiores confirmentur; perindeque sit, atque si eodem tempore omnes cessissent. Et ideo, si is, qui primus cessit, vel defunctus sit, vel alio genere, vel alio modo partem suam alienauerit, post deinde socius cesserit; nihil agetur.* Cum enim postremus cedat, non retro adquiri seruitus videtur; sed perinde habetur, atque si post, cum postremus cedat, omnes cessissent. Igitur rursus hic actus pendebit, donec nouus socius cedat. Idem iuris est, et si unius ex dominis cedatur, deinde in persona socii aliquid horum acciderit. Ergo et ex diuerso, si ei, qui non cessit, aliquid tale eorum contigerit, ex integro omnes cedere debebunt. Tantum enim tempus eis remissum est, quod dare facere possunt, vel diuersis temporibus possint: et ideo non potest uni, vel unus cedere. Idemque dicendum est, et si alter cedat, alter leget seruitutes. Nam si omnes socii legent seruitutes, et pariter eorum adea-

adeatur hereditas; potest dici, utile esse legatum: si diversis temporibus, inutiliter dies legati cedit. Nec enim, sicut viuentium, ita et defunditorum atius suspensi, receptum est. Primum hic illud, vel alio modo, ut interpretationem praecedentium verborum, vel alio genere, quae non iure deleuit Haloander, eliminandum censeo cum Scip. Gentile Parerg. Lib. I. Cap. 15. quem sequitur is, quem dixi, Rückerus, quo loco diligentius exponit nostram legem, Interpretation. Lib. I. Cap. 2. Genere enim quodam valet apud nostros idem saepe, quod quodammodo, ut Cuiacius docuit Obseru. Lib. IV. Cap. 8. utque alia omittam, quae peti possunt ex Thesauro Gesneriano, sic Iauolenus dicit L. vlt. D. de Manumission. servum furiosum omni genere manumissum: nec ibi, omni genere manumissionum ad libertatem perduci posse, cum Franc. Rygerbosio Observation. Fastic. Cap. 14. p. 111. legendum. Atque ita et Claudianus Bello Gild. v. 262 seqq.

— Quamvis discriminé summo  
Proditor apportet suspensam morte salutem,  
Nusquam gratus erit. Damnamus, luce reperta,  
Perfidiam: nec nos patimur committere tali  
Hoc genus emtori.

Salutem enim morte suspensam voluit scripsitque sine dubio illic loci Claudianus, ut et olim edebatur; non suspensa morte. Tum in ipsis Pauli, atque si post, cum postrenus cedat, omnes cessissent, delendum illud, post, de iudicio Brencmanni, ipso antiquis uncinolis Florentiae inclusum, ac deinde recentius linea transversa inductum, et ab Haloandro quoque et reliquis

## 26 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

Editoribus spretum, Denique vbi legitur, *Tentum enim tempus eis remissum est, quo dare facere possunt, vel diuersis temporibus possint, sine causa et contra omnium exemplariorum fidem* Haloander expunxit prius, *possunt*, pro quo in Vulgaribus impressis legitur, *possint*: nec bene Cuiacius in *Comment. ad h. l.* corrigit, *qui dare facere possunt*. Potest enim vel cum Rückero, geminatione retrograda exhibita, *pos-*  
*funTVel*, id est, *possunt*, *ut vel diuersis temporibus possint*, scribi; vel, quod fere malim, nec maiori motu reponi, *ut et diuersis temporibus possint*. Haec de lectione. Ad sententiam autem legis quod attinet, lapsus est, si quid video, eruditissimus Rückerus, a quo totum locum bene interpretatum censebat Io. Gotfr. Sammetus V. C. *Recept. Lection. ad Iaunch. Disp. I. Cap. 4. Opusc. Sylloges p. 122.* in explicatio-  
*ne istius versiculi, Idem iuris est, et si vni ex dominis cedatur, deinde in persona socii aliquid horum acciderit.* Manifestum enim esse ait, Paulum, cum sub initium statim monuisset, eadem obtinere circa imponendam, et circa acquirendam diuersis temporibus praedio communi seruitutem, per totam deinde legem agere tantum de imponenda seruitute; ideoque et versiculi, *Idem iuris est, speciem, ut verbis ac menti Pauli plane conueniat, sic esse ponendam: Titius et Gaius, communi praedio imposituri seruitutem, cedunt eam pariter vni ex dominis vicini praedii, puta Maeuio: deinde, antequam alteri domino Sempronio quoque cedant, alteruter ex illis moritur, vel partem suam alienat: si postea superstes cum nouo socio cedat alteri vicini fundi domino Sempronio seruitutem, perinde atque*

atque in praecedenti casu dicendum erit, nihil actum  
esse: non ideo, quia Maeuio et Sempronio diuersis  
temporibus cessum est: in horum etenim personis ni-  
hil accidere ait Rückerus, quod impedit, quo minus  
inter ipsos cessionum tempora coniungantur: sed ideo,  
quia ille, qui prior cessit, Titius nempe vel Gaius,  
socius esse desit, antequam ipsorum fundo seruitus im-  
posita esset. Haec ICtus ille doctissimus, acute sane  
ac subtiliter, ut solet; sed, si quid ipse iudico, non ex  
mente Pauli: neque enim hic dixit, *si vni ex dominis*  
*vicini praedii*, sed simpliciter, *si vni ex domini*, com-  
munis puta praedii, *cedatur* nec reuera, si quis ani-  
mum attendat, casus ille, quem posuit Rückerus, di-  
versus est a proxime praecedente: nec verbis denique,  
*in persona socii*, post ista, *si vni ex dominis cedatur*,  
significari potest alteruter eorum, qui seruitutem cesse-  
runt; sed manifeste haec notant eius, cui iam cessum  
est, socium: ut recte et Hotomanus monuerat *Obser-*  
*vation. Lib. II. Cap. 2.* cuius loc quasi erratum repre-  
henditur a Rückero. Nec magis probo, cuius non  
meminit Rückerus, Ant. Fabri *Coniecturar. Iur. Ciu.*  
*Lib. XIX. Cap. 16.* sententiam, quamvis eam non  
improbet Bachouius ad Treutler. *Vol. I. Disp. XVIII.*  
*Th. 6. Lit. B.* qui dum emendare se crederet, pessime  
legem corrupti, verba illa, *in persona socii*, tamquam  
irreptitia ex prava interpretatione, delenda censens, ut  
ipse dominus dominantis praedii, cui cessa seruitus, in-  
telligatur vel defunctus esse, vel partem fundi alienasse.  
Ego vero verba Pauli, quomodo et Glosatores acce-  
pisse indicio est summa legis ex Viuiano praemissa, sic  
intelligo: Idem iuris est, si vnu ex communis praedi  
domi.

## 28 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

dominis acquirat seruitutem, et socius, antequam ei cedatur, esse desinat vel morte, vel venditione suae partis: tunc enim pendebit et hic actus, perinde ac praecedens, donec nouo socio seruitus cedatur. Neque vero absonum videri debet, quod in solo hocce versiculo loquitur Paulus de acquisitione, non de impositione seruitutis: solum quippe casum imponendae diversis temporibus a pluribus dominis seruitutis totum pertractat, de altero eadem obtinere, et ex iisdem rationibus, verbo monuisse, et exemplo insuper uno idem docuisse contentus. Redit igitur statim ad alterum de imponenda seruitute casum, ac pariter nihil actum ait cessione unius, vel plurium dominorum, si is, qui nondum cessit, socius esse desinat: tunc enim ex integro ab omnibus esse cedendum. Et huius quidem sententiae suae rationem reddit hanc: *Tantum enim tempus eis remissum est, quo dare facere possunt, ut et diversis temporibus possint: et ideo non potest unius, vel unus cedere.* Quorum verborum non accedo Cuiacianam interpretationem probanti Rückero, vt dare sit cedere seruitutem, facere vero pati, vt alter seruitute vtatur; quia haec foret manifesta et inanis plane eiusdem sermonis repetitio. Imo dare, me iudice, valet seruitutem cedere; facere acquirere eam, vt et Vicianus intellexit. Hoc solum ex rigore iuris, inquit, fori disputationibus et interpretatione Prudentum remissum est, vt non eodem punto temporis plures socios cedere, vel acquirere seruitutem necesse sit, sed possint etiam diversis temporibus; ita vt novissima cessione priores confirmantur, et perinde habentur, ac si tum demum omnes cessissent: et ideo nec posse

posse vnum acquirere, nec vnum imponere praedio  
communi seruitutem. Atque in casu praemisso vere  
vnum tantum cessit, tum Titius, qui prior cessit, an-  
tequam Gaius, cessione nondum facta, decederet,  
quam nouus socius Maeuius, qui socius nondum erat,  
cum Titius cederet: atque hoc pacto ultima cessio non  
accedit priori, ut confirmet eam; sed posterior cessio  
traheretur ad primam. Ex quo patet omnino, nihil  
esse actum cessione Titii, nouumque socium solum  
cessisse, ac firmandam adeo esse cessionem eius iterata  
cessione Titii. Atque hanc tam bonam Pauli ratioci-  
nationem, causa certe nulla erat, cur moribus nostris  
velut nimiam subtilitatem explodendam censerent Sim.  
a Groenewegen de Legib. Abrogat. Part. II. p. 112.  
et Io. Voetius Comment. ad D. h. t. §. 9. Vol. II. p.  
518. seq. merito tamen dissentiente a Groenewegio Vlr.  
Hubero, in Praelest. ad Pand. h. t. §. 3. p. 811. vbi,  
*Ego, inquit, Romanos nihilo ineptiores nostri seculi  
hominibus arbitror suisse; nec quod idonea ratione ni-  
titur discriminem, temere abolendum censeo, nisi totum  
ius positivum facere velis arbitrarium.* Idem vero,  
quod Paulus receptum dicit ex aequitate et interpreta-  
tione Prudentum, (hoc enim iure, ciuili proprie dicto,  
id et ego admissum potius crediderim contra iuris regu-  
las cum Rückero, quam ex benigna iuris Praetorii ra-  
tione cum Em. Merillio Lib. sing. Differentiar. Iur.  
Cap. 7. cumque hunc secuto Abr. Wielingio *Legion.*  
*Iur. Ciui. Lib. I. Cap. 21.)* idem, inquam, tuerit etiam  
Celsus L. u. D. de S. P. R. Per fundum, inquiens,  
qui plurium est, ius mihi esse eundi, agendi, potest se-  
paratim cedi. Ergo subtili ratione non aliter meum  
fist

## 30 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

siet ius, quam si omnes cedant: et nouissima demum cessione superiores omnes confirmabuntur. Benignius tamen dicetur, et antequam nouissimus cesserit, eos, qui antea cesserunt, vetare uti cesso iure non posse. Quem locum corruptum existimans, legendumque, jus mihi esse eundi, agendi, non potest separatim cedi, fallitur certe doctissimus Halensium I<sup>CTUS</sup>, Ern. Christ. Westphalius de *Libert. et Seruitut. Praedior. Sec<sup>t</sup>. III. Cap. 28. §. 789.* Etenim Celsus, quod et iam Rückerus monuit, aperte hoc dicit, posse a pluribus dominis, etiamsi non pariter cedentibus, seruitutem fundo imponi, sed non aliter videri constitutam, quam si omnes cesserint; et ideo stricto quidem iure posse etiam illos, qui iam cesserunt, donec nouissimus cedat, cesso iure uti me prohibere; verum contra hos Praetorem me tueri, ne contra factum proprium venire possint. Quin etiam, vt idem Celsus docet *L. 10. D. de Euic<sup>t</sup>.* qui fundi communis cessit seruitutem, quasi dominus solus esset, mihi tenetur de euictione, ceteris non cedentibus,

---

CAPVT

## C A P V T VI.

*De sententia L. 26. D. de Vulg. et pup. substit.*

**I**uliani item locus, cuius mentem ab eodem eruditissimo Rückero male explicatam deprehendi, in *L. 26. D. de Vulg. et pup. subst.* sic habet: *Si pater filium impuberem heredem scriperit, et ei substituerit, si quis sibi post mortem natus erit; deinde viuo fratre postumus natus fuerit: testamentum viuo rumpetur. Post mortem autem fratris viuo patre natus, solus heres patri suo existet.* Labuntur autem de Rückeri sententia *Lib. II. Interpretat. Cap. 7.* Interpretes omnes in eo, quod loqui Julianum existimant de patre, qui filio impuberi heredi instituto postumum, quem sperabat, substituerit: hoc enim admissio, adeo ineptam fieri putat totam Juliani disputationem, ut nemo umquam idoneum ex ea sensum trahere possit. Patrem igitur ipse vult impuberi extraneum quendam substituisse, et quidem sub conditione, si postumus sibi post mortem suam nasceretur; quo, filio forte intra pubertatem moriente, si postumus natus foret, saltem impuberis portio ad proximum agnatum perueniret. Scriperat enim, si Rückerum audis, sic pater: *Filius meus impubes heres esto. Si quis mihi post mortem meam natus erit, Titium filio impuberi substituo.* Verum non admittere istam interpretationem videntur verba legis, et recta loquendi ratio. Nam quod ait, *et ei substituerit*, sic intelligere, vt suppleas extraneum, plane nouum et commentarium est: et cum proxime sequa-

## 32 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

sequatur, *si quis sibi post mortem natus erit*, quid est apertius, quam verbis istis indicari ipsum postumum scripto heredi impuberi substitutum? Quare extra controuersiam positum id quidem videtur, de postumo fratre impuberi a patre substituto loqui Iulianum. At hoc valde controuertitur, vtrum filius post mortem patris natus substitutus dicatur impuberi; an post mortem impuberis natus, quem insituerat pater: constat enim, postumos in iure dici non solum, qui post mortem patris nascuntur, sed et qui post testamentum factum viuo patre. Evidenter puto cum Accursio, Iulianum loqui de filio post mortem impuberis nato. Id enim haud obscure, vt mihi videtur, indicat ICtus, dum ait, *si quis sibi post mortem natus erit*; non, *post mortem suam*, vel *se mortuo*: et sequitur mox, *testamentum viuo rumpetur*, in quo subaudiendum fane ex antecedentibus, *fratre*; non, quod Rückero videbatur, ex sequentibus repetendum, *patre*: neque vt spurium auferri velim τὸ *viuo* cum Brenemann, quamvis extrudant vocem Vulgati et Haloandrinus codex, et a manu exaratis nouem abesse testetur ipse Brenemannus. Saepe enim ponitur hoc modo ablatus absolutus; idque more quodam Graeco, vt scilicet monuit Petr. Faber *Comment. ad tit. de Orig. iur. p. 37.* recte etiam et feliciter, meo quidem animo, in istis Pomponii *L. 2. §. 33. D. de O. I.* *Isque vocatur praefectus urbi*, qui *praefectus olim constituebatur*, corrigens, qui *profectis*, puta magistratibus, *olim constituebatur*; vt nempe breuiter hoc repetat Pomponius, quod paulo ante ita dixerat, *quotiens proficiuntur*. Atque hoc modo Antiphon *Orat.* περὶ τὴν Ἡρό-

'Ηεράδης Φόνε p. 726. Reisk. Καὶ μὴν ἔτι ἐγρηγορότων  
 φασίν εὐβῆναι τὸν ἀνδραῖον τὸν πλοιός. Item Suetonius,  
 cui persimiliare id loquendi genus fuisse reperio,  
 in *Iulio Cap. 4.* Cornelium Dolabellam, consularem  
 et triumphalem virum, repetundarum postulauit, ab-  
 solutoque Rhodum secedere statuit. Et *Othonis Cap. 8.*  
 Ea cum in castris sub nobis promerentur, insi-  
 dias quidam suspicati, tumultum excitauerunt: ac  
 repente omnes, nullo certo duce, in palatium cucurre-  
 runt, caedem senatus flagitantes: repulsiisque tribu-  
 norum, qui inhibere tentabant, nonnullis et occisis,  
 sicut erant cruenti, perruperunt in triclinium usque,  
 nec nisi viso desliterunt. Itemque vitae eiusdem *Cap. 11.*  
 Circa lucem demum expergefactus, uno se traie-  
 cit idū circa laeuanam papillam, irrumptibusque ad  
 primi gemitum, modo celans, modo detegens pla-  
 gam, exanimatus est. Et ita Liuium quoque capien-  
 dum arbitror illo loco, qui sine dubio nulla eget emen-  
 datione, nisi aliqua tantum distinctionis, *L. XXII.*  
*Cap. 9.* Vbi satis quieti datum; praeda ac populatio-  
 nibus magis quam otio aut requie gaudentibus profe-  
 sius, Praetutianum Adrianumque agrum, Marsos in-  
 de Marrucinosque et Pelignos deuastat, circaque Ar-  
 pos et Luceriam proximam Apulice regionem. Sic  
 denique et est apud Scaevolam *L. 29. §. 7. D. de Lib.*  
 et post. vt omnino ex Florent. Pandectis legendum  
 admonuit iam eo loco, quo diximus, P. Faber, ibique  
 viuo pariat, i. e. eo viuo; non, vt in antiquioribus  
 Vulgatis et margine Noricae editionis, ibique vino auo.  
 et eius filio pariat; et post paulo, quod temere muta-  
 vit Haloander, redeatque mortuo. Sed redeamus in  
 Koehi Interpr. *L. II.*

34 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

viam, et videamus nunc quaestio[n]is a Iuliano tractatae decisionem; ex qua itidem, opinor, apparebit, hanc fuisse, quam diximus, ICto nostro mentem, nec merito Rückerum scripsisse, ea interpretatione admissa, frustra adhibere suas distinctiones Iulianum, quin ipsam substitutionem, quicquid contingat, inanem fore. Titius igitur pater filium impuberem heredem scribit, eique vulgariter ita substituit: *Si quis mihi post mortem impuberis natus erit, is heres esto.* Deinde, viuo impubere, natus est ei frater. Eo casu testamentum rumpitur; quia non in hunc casum postumus fuerat institutus. At si nascatur post mortem fratris viuo patre, non rumpetur testamentum; sed solus ille postumus heres erit patri suo, existente iam dupli substitutionis conditione. Plana igitur hoc modo videntur omnia; neque alia Iuliani sententia, aut emendatio, quam et moliti quidam sunt hoc in loco, quaerenda.

---

CAPVT

---

## C A P V T VII.

*De fide quaestionis memorabilis Ulpiani locus in L. I. §. 23. D. de Quaest. qui emendatur et explicatur. Corrigitur item L. I. §. 1. C. eod.*

**D**e fide quaestionis per tormenta habitae, quibus etiam apud Romanos fere serui tantum, vix unquam liberi homines subiiciebantur, notabilis est Ulpiani in L. I. §. 23. D. de Quaest. locus, in quo et ipse periculorum admodum ac fallacem probandi modum esse ait, dum criminum vere rei exquisitissima saepe tormenta contemnunt atque superent, et contra alii, dolori cedentes, de se aliisque delicta, quae non patraverant, confiteri potius, quam pati tormenta velint. Eam legem varie corrigenti non assentior Nic. Catharino *Observation. Lib. I. Cap. 49. in Thes. Jur. Meerm. Tom. VI.* tametsi nec ipse per omnia Tuscam sequar lectionem. *Quaestioni fidem non semper*, inquit in libro Pisano Domitius, *nec tamen numquani habendam, constitutionibus declaratur*. Etenim res est fragilis et periculosa, et quae veritatem fallat. Nam plerique patientia, sive duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit. Alii tanta sunt impatientia, ut quo quis mentiri, quam pati tormenta velint. Ita fit, ut etiam vario modo fateantur: ut non tantum se, verum etiam alios comminentur. Primum hic Brencimannus vocum serie legit immitata, *patientia tormentorum, sive duritia;*

C 2

sed

36 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

sed contra omnium tam formis casorum, quam scriptorum manu, quos in consilium hic ipse aduocavit, consensum: quibus et suffragatur Basilicorum Scholastae Tom. VII. p. 812. B. qui recte verba ista interpretatur, τῇ ὑπομονῇ αὐτῇ, ἵτοι τῇ πρὸς τὸς βασικῶν καρτερίᾳ. Ac vide quae de vsu isto genitiui casus apud Scriptores vtriusque linguae diximus in *Notis et Emendat. ad Theocr. XXV. 279. p. 66.* Quibus addam nunc ex Homero Il. A. v. 284. vbi de Achille:

ἔρνος Ἀχαιοῖσιν πέλεται πολέμῳ ιπποῖο.

Et ibi Eustathius, Νοεῖται ὁ Ἀχιλλεὺς, inquit, οἵτινα τὰν πολεμίων πυργοεδές ἔρυμα ἴσαθλα. Item illud Sophoclis *Ai. Maſtigoph.* v. 1229. seqq.

Καὶ πρὸν μὲν ἐν ἐννυχίᾳ  
Δέιματος ἦν μοι προβολά,  
Καὶ βελέων θέρος Αἴας.

Vbi obiter ex fide MS. Codicis Bremensis egregii, seculo forte XIII. in charta bombycina scripti, quem Goettingae humanissimus Kulencampius vtendum supeditarat, corrigendum moneo hunc in modum Scholasten: ἐννυχίᾳ· τῇ νυκτερινῇ φόβῳ, καὶ τὰν βελῶν, ἥγεν τῷ πολέμῳ, φυλακήσιον ἦν ὁ Αἴας. Item illud Aristophanis *Pluti* v. 886.

Ἄλλ' εκ ἔνεσι συκοφάντες δίγματος.

Quod vertendum, Sed non est remedium ferens (anulus) contra sycophantae morsum. Itemque illud denique de pescatoribus Oppiani Ἀλιευτικῶν Lib. I. v. 45. seq.

Oὐδὲ

Οὐδὲ τι φοιταλέων ἀνέμων σκέπας, ἐδὲ τιν' ὄμβριον  
Ἀληῆν· & πυρὸς ἀλιαρεῖσιν οὐδενός φέρονται.

Atque ita et apud Ouidium Lib. IV. Metam. v. 235.

*Inuidit Clytie, stimulataque pellicis ira  
Vulgat adulterium.*

Id est, ira in pellicem concepta. Verum ut ad Vlpianum reuertar, mox pro corrupto, *quouis mentiri*, Vulgati habent codices, *in quouis potius mentiri*, et *in quouis mentiri*, scripti Brencmanno visi tres; Halander autem et Rehdigeranus liber, *quoduis mentiri*: ego ab Vlpiano scriptum opinor, quod ex Bynkershoekiano profert Gebauerus, *ut potius mentiri, quam pati tormenta velint*: sic enim legisse videtur in suis libris et Basilicorum Interpres, cum verterit, ὡς μᾶλλον βέλοντας ψεύδεθαι, ἢ περ ὑποφέγεντας: quamvis τὸ potius eleganter fileri nonnumquam atque intelligi non ignorem, ut in illo Plauti Rud. Adt. IV. Sc. 4. v. 72.

*Eo tacent, quia tacita bona ēt mulier, quam lo-  
quens.*

Qua de forma pluribus vide differentes I. Lipsium Epistolar. Quaeſt. Lib. V. Epift. 23. et Andr. Schottum Obſeru. Humanar. Lib. V. Cap. 34. quaeque Cortius colligit ad Sallust. Catil. Cap. 8. init. et. Cap. 9. extr. Simili autem fere modo Cicero loquitur Orator. Par-  
tit. Cap. 14. Saepe etiam quaeſtionibus refiſtendum  
ēst, quod et dolorem fugientes multi in tormentis men-  
titi saepe ſunt, morique maluerunt falſum fatendo,  
quam iufitiando dolere. Denique apud Vlpianum pro

## 38 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

verbo postremo restituendum omnino, quod in Vulgatis Noricisque libris, et Taurelliano in margine legitur, *criminentur*, approbante etiam doctissimo Wiesenbergio D. Marc. *Diss. XVIII.* p. 86. Sic enim verit et d. I. Graecus Scholastes: ἐντεῦθεν γίγεται καὶ τὸ διαφόροις τρόποις ὄμολογεῖν τὰς ἐρωτώμενας, καὶ μὴ μόνον καθ' ἔσυνταν, αὐτὰς καὶ καθ' ἐτέρων ἐπιφέρειν αὐτές ἐγκλήματα. Vlpiani autem locum (vt obiter moneam) *Ill. de Sonnenfels in libello insigni*, quo de ipsi olim in *Biblioth. Commun. Germ. Vol. XXVII. Tom. II.* p. 351 seqq. sententiam diximus, Ueber die Abschaffung der Tortur p. 43. non recte verit in hunc modum: *Die Folter ist eine bedenkliche gefährvolle Sache, wodurch die Wahrheit leicht hinterführt werden kann. Denn entweder aus Fühllosigkeit, oder wegen der Härte der Qualen selbst, schätzen die meisten die Peinigung so gering, dass die Wahrheit ihnen auf keine Weise abgezwungen werden kann. Andre hingegen sind von einer solchen Empfindlichkeit, dass sie lieber lügenhaft gestehen, als die Qualen dulden wollen. Nam verba postrema, ut intelligenda esse paulo superius docuimus, sic potius verti oportuit: Denn viele, fühllos und abgehärtet gegen die Marter, schätzen die Peinigung so gering, dass die Wahrheit ihnen auf keine Weise abgezwungen werden kann. Andre hingegen sind von einer solchen Empfindlichkeit, dass sie lieber lügenhaft gestehen und von sich und Andern Unwahrheiten sagen, als die Qualen dulden wollen.*

Emendationis etiam indigere videtur *L. i. §. i. C. de Quæst.* vbi cum monuissent Seuerus et Antoninus

AA.

AA. seruos non esse torquendos contra dominos, exceptis adulterii criminibus, item fraudati censuſ accusationibus, et crimine maiestatis, ad extremum hoc adiiciunt: *In pecuniariis vero cauſis, nec in opia probationum, seruos contra dominum interrogari posse manifestum eſt.* Sic legitur vulgo. At in Norico edidit Haloander, *ex in opia probationum;* idque placebat Cuiacio Lib. II. Obſeru. Cap. 33. tum quia pars iſta Rescripti hoc pacto referretur in L. 9. D. eod. tum quod et rationi ſumopere id congrueret, cum nec in caput domini interrogentur, qui interrogantur in cauſis ciuilibus. Haec ille. Ego vero legerim potius, *nisi in opia probationum, seruos contra dominum interrogari non posse manifestum eſt:* cum quod minus Latine videatur dici, seruos interrogari *ex in opia probationum,* pro eo, quod eſt, propter probationum inopiam; et contra illud, *in opia probationum,* bene atque viſtate dictum, L. 3. D. de Reb. cred. demonſtret: tum quod et plane iſtum in modum Imperatores ſuſpi- cer ſcripſiſe ex d. L. 9. vbi haec leguntur verba Mar- ciani: *Divus Pius rescriptiſt, posſe de ſeruis haberi quaefiſionem in pecuniaria cauſa, ſi aliter veritas inveniri non poſſit.* Sed hoc ita eſt, ut non facile in re pecuniaria quaefiſio habeatur. Sed ſi aliter veritas inueniri non poſſit, *nisi per tormenta: licet habere quaefiſionem, ut et Diuſus Seuerus rescriptiſt.* Nec ta- men diſſiteor, Graecos etiam mendofam, quae hodie eſt in libris Latinis, ſecutos eſſe ſcripturam: etenim Tom. VII. p. 805. D. *Ἐν δὲ ταῖς χρηματικαῖς δίκαιαις, inquiunt, ἐδὲ ἐν ἀπογλω̄ αὐτοδέξεω̄ χρὴ τὰς δέλες κατὰ τῶν δεοπότων ἐρωτᾶθαι.*

40 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

Ceterum de re, vt in memoriam revoceam, cum et nuper alii causam egerint tormentorum post Leyserum Sp. DCXXX. ad Pandect. Med. 1. et 3. seqq. lubet appingere verba Augustini de Ciu. D. Lib. XIX. Cap. 6. cui illud solum non assentior, quod tormenta, quae tamquam iniusta damnat, ea tamèn, cogente ita humana societate iudicandique necessitate, adhibere permittit. Saepe coguntur homines, inquit Hippomenium Episcopus, tormentis innocentium testium ad alienam causam pertinentem quaerere veritatem. Quid cum in sua causa quisque torquetur: et cum quaeritur, utrum sit nocens, cruciatur: et innocens luit pro incerto scelere certissimas poenas: non quia illud commisisse detegitur, sed quia non commisisse nescitur? Ac per hoc ignorantia iudicis plerumque est calamitas innocentis. Sed (sic enim malo cum vetere, quo vtor, Basileae 1489. Io. Amerbacensis typis exscripto, quam Et, vt vulgo editur) quod est intolerabilis, magisque plangendum, rigandumque, si fieri posset, fontibus lacrimarum: cum propterea iudex torqueat accusatum, ne occidat nesciens innocentem, fit per ignorantiae miseriam, ut et (sic scribo cum Basileensi, non et vt) tortum et innocentem occidat, quem, ne innocentem occideret, torserat. Si enim secundum istorum sapientiam delegerit ex hac vita fugere, quam diutius illa sustinere tormenta: quod non commisit, commisisse se dicit. Quo damnato et occiso, utrum nocentem, an innocentem index occiderit, adhuc nescit: quem, ne innocentem nesciens occideret, torfit: ac per hoc innocentem, et (hanc copulam ex Basileensi interposui) ut sciret, torfit, et dum nesciret, occidit.

CAPVT

---

## C A P V T VIII.

*Intra annum luctus nubere cur prohibeantur viduae.* Sententia L. 1. et L. 8. D. de His qui not. infam. Abrogasse Romani Iuris dispositionem Pontifices c. 7. C. 2. qu. 3. c. pen. et vlt. X. de Sec. nupt. De luctu propinquorum, indicata Trioniani manu in L. 23. D. de His qui not. infam. Nihil mutandum in Paulo Sentent. Lib. I. Tit. vlt. §. 13. Emendata L. 23. D. de Furris.

**D**e luctu viduarum, et de sponsalibus non prohibitis intra annum luctus quamvis erudite ac diligenter disseruerit, vt solet, Ill. Püttmannus *Interpretat.* et *Obseru.* *Iur. Rom. Cap. 33.* et *Probabil. Iur. Ciu. Lib. I. Cap. 17.* itemque *Aduersar. Iur. Vniu. Lib. I. Cap. 10.* tamen hoc praestantissimo ICto non assentior, quod non tantum ob incertum vteri, turbationemue sanguinis, sed etiam ob memoriam et reuerentiam defuncti mariti viduae mulieri luctum indici annuum existimat cum Cuiacio ad Nouell. XXII. et Lib. VI. Obseru. Cap. 32. itemque de Temp. Praescript. Comment. Cap. 20. et aliis idem secutis, ex quibus Cour. Rittershusium Different. *Iur. Ciu. et Canon. Lib. II. Cap. 3.* et *Exposit.* Nouell. Part. IV. Cap. 3. n. 7. Ge. Beyerum Diff. de concubitu intra tempus luctus, quae inter Beyeri Dissertationes iunctim editas ordine est tertia, Cap. 1. §. 25. seqq. Ger. Noodtium Comment. ad D. de His qui not. inf. Tom. II. Oper. p. 65. ed. Colom. Ant. Schultingium ad Περταχ. t. §. 4. p. 236. ed. no<sup>c</sup>

## 42 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

viss. et ad Pauli Sentent. L. I. Tit. vlt. §. 13. I. Ort. Westenbergium Princip. Iur. Digest. d. t. §. 14. Greg. Maiansium Disputat. Iur. Tom. II. p. 191. Io. Conr. Rückerum denique Obseruat. Cap. 1. nominasse sufficiat. Aliter enim sapuisse veteres Legumlatores ac Ictos, solamque rationem differendarum nuptiarum censuisse, ne oriretur confusio sanguinis et ordinis familiarum, satis iam probatum dederat, meo quidem iudicio, Bynkershoekius Obseru. Iur. Rom. Lib. V. Cap. 12. Sed pretium videtur operae cognoscere, quid mouerit tot eruditos Iuris nostri Interpretes, ut in posteriorum quorundam cum Cuiacio discederent sententiam, remque omanem paucis explicare. Nam mihi quidem veteres illi Iuris auctores, cum vnam atque solam luctus rationem dicentes metum incerti partus, rationem videntur secuti, non superstitionem, et priscorum Romanorum sententiam, quorum constat primum fuisse studium, matrimonia invitare omnibus modis ac promouere, ne ab ea coniunctione molestiis deterriti absinherent ciues; ita ut et poenam viduitatis constituerint, quod vidubium dicebant, ut caelibatus, vxorium. Atque ex hac, quam dixi, legis ratione pendet quoque decisio quaestlionis, an, quae a defuncto marito peperit mulier, excusso vtero, nuptum possit collocari: quam ego de Iustiniane iure affirmandum puto. Sed iam in rem praesentem veniamus.

Igitur primum Numae Pompilii lege, ut auctor est Plutarchus in Numa Tom. I. p. 270. Reisk. (non Romuli, quod bene contra Iac. Gothofredum Comment. in C. Th. Tom. I. p. 323. Ritter. nullius nixum aucto-  
ris

ris testimonio, monuere Chr. Henr. Eckardus et Ill. Walchius *Hermeneut. Iur. L. I. C. 4. §. 151.*) decem menses luctui peragendo praesertim fuere feminis, quod et hoc esset longissimum pariendi hominis tempus, tametsi ipse anno Romuli decimestri duos menses adiecerat; his etiam, quae ante nupsissent, bouem factam immolare iussis: quo monerentur, opinor, hoc ipso sacrificio mulieres, quam turpiter plena fortasse adhuc nauit, ut Iulia, Augusti filia dicebat, alium vectorem sustulissent. Sed haec poena cum sperneretur fortassis, praesertim a ditionibus, postea mutata fuit, et ex Edicto Praetoris non solum infames habitae mulieres, quae cum sui iuris essent, non decursio lactus spatio, ad novas nuptias properasset; sed infamia quoque notati sunt, qui, quas haberent in potestate, intra id tempus, quo eludere virum moris est, in matrimonio collocasset; vel qui, quos in potestate haberent, passi essent tales feminas ducere; vel qui scientes, cum sui essent iuris, non iussu eorum, quorum erant in potestate, duxissent.

*Praetoris verba dicunt:* (ita enim ab Vlpiano erat relatum libro sexto ad Edictum, ex quo cum Schultingio ad περὶ τὰ h. t. §. 3. idemque probante Wielingio *Iurisprud. Restit. p. LXXX.* et in *Praetorm. ad Lat. bitt. p. 230.* et sic praferente denique MS. Campensi, ut auctor est V. C. Petri Bondam *Spec. Animadu. Critic. Cap. 13.* in *Thef. Diff. Belg. Nou. Vol. II. Tom. II. p. 224.* non ex Iuliano, ut obtinuit, transcriptam censeo L. i. D. de *His qui not. infam.*) INFAMIA NOTATVR, QVI EAM, QVAE IN POTESTATE EIUS ESSET,

GENERO

## 44 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

GENERO MORTVO, CVM EVM MORTVVM ESSE SCI-  
RET, INTRA ID TEMPVS, QVO ELVGERE VIRVM MO-  
RIS EST, ANTEQVAM VIRVM ELVGERET, IN MATRI-  
MONIVM COLLOCAVERIT; EAMVE SCIENS QVIS VXO-  
REM DVXERIT, NON IVSSV EIVS, IN CVIVS POTE-  
STATE EST: ET QVI EVM, QVEM IN POTESTATE HA-  
BERET, EAM, DE QVA SVPRA COMPREHENSVM EST,  
VXOREM DVCERE PASSVS FVERIT. Quae verba, meo  
quidem animo, optime exposuit Rückerus *Obseru.*  
*Cap. 1.* sublata interpunctione post ista, *cum eum mor-  
tuum esse sciret*, diuersum tamen, sed frustra suadent-  
te Ill. Piitmanno *Interpretat.* *Cap. 33.* Infamia no-  
tatur, ait Praetor, qui filiam, quam in potestate habet,  
genero mortuo, antequam virum elugeret, cum sciret  
tempus illud nondum effluxisse, in matrimonium col-  
locavit. Et hoc quoque Vlpianus *L. II. §. 4. D. eod.*  
*Notatur etiam*, qui eam duxit: *sed si sciens.* *Ignor-  
antia enim excusat non iuris, sed facti.* Contra  
si receptam sequaris verborum Praetoris interpunctio-  
nem, non solum uno spiritu otiose bis idem dixit, *in-  
tra id tempus, quo elugere virum moris est*, et *ante-  
quam virum elugeret*; verum etiam ita demum notat  
infamia patrem, si generum mortuum esse scivit, et  
contra notatum non vult, qui generi mortem ignorans  
alteri filiam collocauit: cum tamen loquatur de filia  
lugente virum, cui de morte mariti adeo constat.  
Comprobant vero plane interpretationem Rückeri Basili-  
licorum auctores *Tom. II. p. 590. C.* "Ατιμός ἐστιν, in-  
quietes, ὁ τὴν ἴδιαν ὑπεξέσοιαν μετὰ θάνατον τῷ  
γαμβρῷ ἐγγαμίσας ἐν εἰδήσει πρὸ τῷ πενθεμένῳ χρέ-  
ων. Cuius tamen loci sententiam non expressit Fabrot-  
tus,

tus, dum ex Pandectis, post mortem generi sui, cum eum mortuum esse sciret, scripsit, seruata prava interpunktione. Verti enim locus ille sic potius debuit: *Infamis est, qui filiam, quam in potestate habet, post mortem generi sciens ante elapsum luctus tempus in matrimonium collocat.* Quod autem breuiter et verbum e verbo exprimentes dixere Basilici, idem enarratus tradit Scholiales p. 598. D. Ἀτιμός ἐσι καὶ ὁ τὴν ὑπεξοίαν αὐτῷ, inquiens, τελευτήσαντος τῷ αὐδρῷ αὐτῆς, εἰδὼς ἔγτος τῷ χρόνῳ, καθ' Ἑθνος ἐσὶν ὑπὸ τῆς γαμετῆς πενθεῖσα τὸν αὐδρα, τετέτω, εἰδὼς δὲ τὸ πάσα παρέδραμεν ὁ τῷ πένθει ἐνισχυτὸς, ἐτέρῳ πρὸς γάμον ἐνδέσ. Per quod satis etiam, quantum ego iudico, dilucet, et in L. 8. D. eod. ut Rückerus monuit, licet contrarium hic quoque tueatur Ill. Püttmannus, verba haec ICti, GENERO, inquit, MORTVO. Merito adiecit Praetor, CUM EVM MORTVVM ESSE SCIRET: ne ignorantia puniatur, perinde accipienda esse, atque si additis, quae supra posuit, verbis scripsisset, cum eum mortuum esse sciret intra id tempus, quo elugere virum moris est. Ita enim solet etiam alibi breuitatis causa omittere Vlpianus, quae facile ex ipso Edicto intellectu suppleri possunt. Quod autem de mulieris infamia, quae, cum sui iuris esset, vltro nuptias contraxit intra legitimum luctus tempus, nihil additur in ea parte Edicti, quae hodie in d. L. i. superstet, hoc, velut notissimi iuris, et quod ratio ipsa iuberet, omnissum arbitror a Triboniano: et satis apparet, de ea quoque notanda comprehensum Edicto fuisse, ex L. ii. §. 3. D. eod. itemque ex Constitutionibus, quibus pariter sanctitur haec mulieris infamia,

et

## 46 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

et aliae insuper poenae in bonis ei prius delatis adiiciuntur, *L. 18. C. Ex quib. caus. infam. irrog. L. 1. et 2. C. de Sec. nupt. Nov. XXII. Cap. 22.*

Exposui Praetoris Edictum: nunc de causa prohibitionis videamus. Et reddit rationem Vlpianus in *L. 11. §. 1. et 2. seqq. D. de His qui not. infam. his verbis: Et si talis sit maritus, quem more maiorum lugeri non oportet, non posse eam nuptum intra legitimum tempus collocari.* Praetor enim ad id tempus se retulit, quo vir elugeretur: qui solet elugereri propter turbationem sanguinis. Pomponius eam, quae intra legitimum tempus partum ediderit, putat statim posse nuptiis se collocare: quod verum puto. Non solent autem lugeri, ut Neratius ait, hostes, vel perduellionis damnati, nec suspendiōsi, nec qui sibi manus intulerunt, non taedio vitae, sed mala conscientia. Si quis ergo, post huiusmodi exitum mariti, nuptum se collocauerit: infamia notabitur. Ait, lugeri debere viros propter turbationem sanguinis, id est, feminis vel subolis; διὲ τὴν σύγχυσιν τῆς γονὸς, ut Basilici efferunt *Tom. II. p. 594. D. ex quibus frustra, propter turbationem feminis, tentabat legere Leunclavius Notator. Lib. II. Cap. 12.* ne scilicet incertus nasceretur partus, si paucis post mensibus vel hebdomatibus a mariti morte alii nuberet vxor; neue superfoetaretur forte, dum grauida coitum patitur mulier, quod raro quidem euenire, sed factum tamen aliquando esse, Medici etiam eruditissimi contendunt. Nam quod Vlpianum dixisse volunt, qui Cuiacii sequuntur iudicium, etiam si mulier iam peperisset, cum nuberet intra annum duximus,

IVR. ROM. LIB. II. CAP. VIII. 47

luctus, infamia tamen notari, nisi maritus sit, quem more  
maiorum lugeri non oporteat, id quidem a veritate,  
mea sententia, longe auersum est. Hoc dicit, et si semina  
maritum habuerit, qui lugeri non deberet, tamen eam non  
posse intra decem menses alteri nubere; quia vir elugeri  
soleat propter turbationem sanguinis: Pomponium vero  
scribere, post partum editum quamvis viduam statim pos-  
se nuptiis se collocare: idque verum, hoc est aequum,  
ideo recte censet Vlpianus, quia hoc casu cessat unica  
causa impediens nuptiarum iterationem. Et ad hanc  
sententiam scripta quoque lex est in Basilicis *Tom. II.*  
*p. 594. D.* eamdemque secutus est Scholia prior *p.*  
*621. D.* Et iterum *Tom. IV. p. 288. D.* simpliciter ac  
sine vlla adiectione Graeci, Ἡ τελεστα ἐν τῷ πενθήμῳ  
χρέων, inquiunt, παρεχεῖν δύναται γαμεῖν: nec  
est, cur id restringamus ad mulierem eius, qui lugeri  
non debet. Lugere igitur debet semina defunctum  
maritum, atque elugere, hoc est luctus tempus com-  
plere, propter turbationem sanguinis: nec scio, qui ex  
veteribus aliam rationem dixerit. Frustra enim Rit-  
tershusius *Different. Iur. Ciu. et Can. L. II. C. 3. p.*  
*48.* et Westenbergius *d. 1.* provocant ad *L. 14. §. 1. in*  
*f. D. Sol. matr.* et ad *L. un. §. 4. C. de Rei vx. aff.*  
quibus in locis reverentiae quidem maritalis, hoc est,  
quaes maritis, sed viuis, exhibenda sit, sit mentio.  
Et Theodosius quoque ac Valentinianus AA. hanc  
vniam luctus dixere causam, ne quis de prole dubitet,  
in *L. 8. §. 4. C. de Repud.* et τὴν τῆς γονὸς ἀδηλίαν  
Iustinianus in *L. 53. §. vlt. C. de Epist. et Cler.* nec  
quicquam vetat, quod in *L. 1. C. de Secund. nupt.* et  
in *L. 4. C. ad Sct. Tertull.* dicitur de luctu religione

a fe.

## 48 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

a feminis praestanda, referre cum Bynkershoekio ad religionem de vitanda partus incertitudine, qua maior religio esse nequit. Non omitendum tamen, posteriore aeuo ab hac veterum sententia discessum esse, ita vt manes prioris mariti, nisi plene luctui fuisse indulsum, per secundas nuptias moerore affici putarent. Apud Apuleium *L. VIII. Metam.* p. 205. ed. Elmenh. quae ad secundas nuptias sollicitatur vidua, *Adhuc*, inquit, *tui fratris meique carissimi mariti facies pulcra illa in meis deuersatur oculis: adhuc odor cinnameus ambrosii corporis per nares meas decurrit: adhuc formosus Tlepolemus in meo vinuit pectore.* Boni ergo et optime consules, si luctu legitimo miserrimae feminae necessarium concesseris tempus; quoad residuis mensibus spatium reliquum compleatur anni. Quae res cum meum pudorem, tum etiam tuum salutare commodum respicit: ne forte immaturitate nuptiarum, indignatione iusta manes acerbos mariti ad exitium salutis tuae suscitemus. Nec dein priscis tantummodo ecclesiae doctoribus \*), id quod plurimis probat testimonius

Ritters-

\*<sup>1</sup>) Gregorii quidem Nazianzeni *Orat. XXXI. Tom. I. Oper. p. 501. A. Morell.* de iteratis nuptiis hoc est iudicium: *Ei μὲν γερό δύο Χριστοί, δύο καὶ ἄνδρες, δύο καὶ γυναικεῖς εἰ δὲ ἂς Χριστός, μία κεφαλὴ τῆς ἐπικληπίου, καὶ μία σάρξ, η δευτέρα δὲ ἀποκλιθών· τὸ δέυτερον δὲ ἡ μία καλύπη, τῷ τρίτῳ λόγος; τὸ πρῶτον νόμος, τὸ δέυτερον συγχώνεται, τὸ τρίτον παρανομία· ὁ δὲ ὑπὲρ τέττα χοιρίδης, οἷος ἔδει ποτὲ ἔχων τῆς κανιάς τὰ παραδίγματα. Et Tertullianus etiam durius de Exhortat. Caſlit. Cap. 9. Si penitus, inquit, sensus Apoſtoli interpretemur, non aliud dicendum erit secundum matrimonium, quam species stupri.*

Rittershusius *Lection.* *Sacr. Lib. III. Cap. 25.* et de *Different.* *Iur. Ciuitatis et Canon. Lib. II. Cap. 1.* item que Salmusius de Foen. *Trapezit.* p. 54. seqq. perodio-  
sae fuere secundae omnes, etiam maturae nuptiae,  
quas permissas magis, quam probatas esse putabant;  
verum etiam Imperatoribus Christianis, aei sui opinio-  
nem secutis, eadem dignae visae sunt, quia prio-  
ris coniugis memoria iis oblitterari, nec liberis prioris  
matrimonii debita videbatur seruari affectio, quas mul-  
tis non in vxore solum, sed etiam in viro, poenis con-  
stringerent atque coercent. Vnde, ut alia omittam,  
Imp. Constantinus in *L. 22. §. 8. C. de Admin. tut.*  
quae se secundis iuxtere nuptias, feminas immoderatas  
et intemperantes appellat, quae plerumque nouis mari-  
tis non solum res filiorum, sed etiam vitam addicant:  
et a Gratiano, Valentiniano et Theodosio M. qui et ipsi  
Augusti *L. 2. C. de Sec. nupt.* decem mensium luctum  
annuum fecere, mulier in *L. 3. §. 2. C. eod. per se-*  
*cundas nuptias dicitur funesta:* et Iustinianus deni-  
que, qui in *Nou. XXII. Cap. 29.* εὐδαιμονία μετά-  
γγον, inquit, μένετε ἐπὶ τῆς προτέρας εὐγῆς, ob hoc  
odium secundarum nuptiarum, etiam annuo luctu per-  
acto, vel missō repudio contractas variis generis poe-  
nis, principaliter quidem in gratiam liberorum prioris  
matrimonii, contra quos amari plerumque nouos con-  
iuges constat, immerentes tamen, ut opinor, subiecit  
*L. 1. L. 3. L. 5. et 6. C. de secund. nupt.* et *Nou. XXII.*  
*Cap. 23 seqq.* diuersus licet in hoc sim ab Ill. Ge. Lud.  
Boehmero, qui in *Diff. de restricta de bonis in favo.*  
*sec. conj. disp. facult.* *§. 2. Elector. Iur. Ciuitatis. Tom. II.*  
*p. 551. Legislationem omnem, quae facta est Iure Ci-*  
*Koehl. Interpr. L. IX.*

## 50 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

vili de secundis nuptiis, circumspicienti, inquit, non aliae rationes obuersantur, quam vel ab honestate, vel a promouenda spe sobolis, vel a commodis liberorum prioris tori repetitae; nulla vero, quae desumpta sit ab efficto odio secundarum nuptiarum. Quae tamen poenae hodiernum fere exulant a foris, certe Saxonicis, teste Carpzouio *Lib. II. Iurispr. Consistorial. Def. 162. n. 4.* et Bergero *Oecon. Iur. p. 87. et 347. ed. nouiss.* Quibus adde, si placet, de hisdem poenis earumque vnu hodierno differentes Wernherum *Sel. Obs. For. Part. III. Obs. 55. et 120. cum Suppl. et Part. VIII. Obs. 280.* Leyserumque *Medit. ad P. Spec. CCC. Med. 3. et 4.* Sanxit autem et *Nou. CXVII. Cap. II.* Imperator, ne mulieri liceret ob quantumuis longam mariti absentiam alteri prius nubere, quam accepto de morte mariti nuntio, et post eum anno adhuc integro expectato: quo casu tamen nullus erat turbandi sanguinis metus. Et iam Basilicorum Scholiales Nicaeus diserte duplicum luctus viduarum causam memorat, metum incerti partus, et reuerentiam defuncti mariti, caput, quod supra scripsimus, Vlpiani referens ad maritum eum, quem lugeri leges prohibent. Verba *Tom. II. p. 622. D.* sic habent: ἐν ὁ ἀνὴρ ἦν τῶν μὴ πενθεμένων περὶ τοιέτων γὰρ τὸ νόμιμον διδάσκει καὶ ἀνάγγειλι καὶ τὸν Πατέλαιον· εἰ γὰρ τῶν πενθεμένων ἦν, τὸν ἐνιαυτὸν ὅλον ἀναφένει, καὶ ἐντὸς αὐτῷ τέκη τέτο μὲν καὶ διὰ τὴν τῆς γυνῆς σύγχυσιν, τέτο δὲ καὶ διὰ τὴν τιμὴν τε ἀνδρὸς. Similiter Harmenopulus *Proœch. Lib. IV. Tit. 6. §. 62.* Ή ἐν τῷ πενθεῖ τὸν ἀνδρὸν γεννήσασα, inquit, ἔτι πωλύεται γάμῳ προσελθεῖν· ή δὲ τεκτα, ἐν τῷ πενθεῖ παρεπαχεῖται δινα-

τα.

*τερ.* Idque prolixius inibi declaratur in Scholio, non posse post partum editum a defuncto marito mulierem alii nubere ἐν τῷ πένθε, qui est virorum luctu dignorum; posse vero ἐν τῷ πενθήμω, hoc est indignorum. Et concinunt, quae habent Basilicorum Synopsis p. 230. ad eandemque Scholia, quae protulit Labbaeus *Obs. et Emend.* p. 61. Atque ita quidem sensere Graeci posteriores: quos miscuisse patet suorum temporum superstitionem veteri iurisprudentiae, fortassis etiam obsecutos in hoc Glossographis Latinis. Etenim et Accursius, Pomponii in d. L. ii. verba, *eam, quae intra legitimum tempus partum edidit, statim posse se nuptiis collocare, enarrans, Cum vir non est lugendus,* inquit, secundum Joannem; *eamdemque sententiam probat in annotatione ad L. 2. C. de sec. nupt.* Nos autem veteres ICTos duces potius sequamur, ipsoque iure dicamus nubere quamlibet viduam feminam post partum editum intra annum luctus; sponsalia autem initri etiam a praegnante, cum aperte id affirmet Paulus L. 10. §. 1. *D. de His qui not. inf.* Imo, quod nec praetereundum, poterant etiam quaevis viduae mulieres, si sexto aut septimo mense nondum tumeret vterus, vel si, inspecto forte ventre, renuntiarentur vacuae, impetrare hoc a Principe, et olim a Senatu, ut liceret sibi intra tempus legitimum nubere; vt docet Paulus pr. d. L. 10. et Plutarchus in *Antonio Tom. V. p. 155.* *Reisk.* Numquam autem datum fuit priuilegium luctus, nisi vacuis, remisso quamvis per publicam laetitiam feminis luctu. Sic de Caligula Dio Cassius Lib. LIX. Cap. 7. Tom. II. p. 908. *Reimar.* prohibuisse aliquando scribit publicae laetitiae causa luctus omni-

## 52 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

vm, ita vt et nubere liceret viduis ante legitimum tempus, dum ne essent praegnantes, ἀντὶ γέ μη ἐν γαστρὶ ἔχωσιν. Et Imp. Gordianus L. 15. C. Ex quibus caus. inf. irrog. Sulpitiae cuidam rescribit: *Decreto amplissimi ordinis luctu feminarum deminuto, tristior habitus, ceteraque hoc genus insignia mulieribus remittuntur: non etiam intra tempus, quo his elugere maritum moris est, matrimonium contrahere permittitur.* Ex quo fit, vt diuortio etiam repudjata statim nubere possit alii, nisi praegnans sit; quod docet L. 8. §. 4. L. 9. C. de Repud. Nou. XXII. Cap. 16. et Suetonius in Iulio C. 43. Neque vero si rationem spectes, quicquam interest, morte viri, an inter viuos soluat matrimonium. Atque ad extremum id quoque notandum, quod vxores viri non compelluntur lugere, L. 9. pr. D. de His qui not. inf. nec sponsi vllus est luctus, d. L. 9. §. 1. quamvis recte etiam Cinna scribat, honestatis habita ratione, vt refert Vlpianus L. 6. D. de R. N. eum, qui absente accepit vxorem, deinde rediens a coena iuxta Tiberim perierit, ab uxore lugendum esse.

Diximus hactenus de luctu viduorum ex Romano Iure: nunc, quid super ea re statuerit Ius Pontificium, videamus. Ac mihi merito de mente Canonum disensisse videtur Ill. Püttmannus Lib. I. Probabil. Cap. 17. cum Bynkershoekio, qui neque his aliud sedere scribit, quam explodere denuo superstitionem, quam posterior aetas inuexerat de prohibito intra annum luctus matrimonio, si vel metus turbandi sanguinis cessaret, atque ita malle Canones interpretari, quam Pontifices

tifices et non intellecti loci Apostolici, et simul improbitatis adeo manifestae reos agere. Enim uero nimis manifestum est, quod iure displicebat Bynkershoekio, id plus vno loco decreuisse Pontifices, nubentem intra annum luctus nullam subire infamiam, abrogato hac in parte Iure Ciuii. Audiamus modo ipsos Pontifices. Ac primum quidem apud Gratianum in c. 7. C. 2. qu. 3. haec legimus: *Non fiunt infames lege canonum omnes, quos leges seculi infames pronuntiant; cum Paulus diaconus, qui non impetrata abolitione ab accusatione defliterat, hac auctoritate dignitatem officii sui recuperauit, quem senatus consultum Turpilianum infamem pronuntiat.* Quod etiam de ea fateri cogimur, quae intra tempus luctus nubit: cum matrimonia hodie regantur iure poli, non iure fori; et iure poli, mortuo viro, mulier soluta est a lege viri, et nubat, cui vult. Idemque rescritbit Urbanus III. c. pen. X. de sec. nupt. Super illa quaestione, inquit, qua quaestum est, an posset mulier sine infamia nubere intra tempus definitum, respondemus, quod, cum Apostolus dicat, *MULIER, VIRO SVO MORTVO, SOLVTA EST A LEGE VIRI SVI, ET IN DOMINO NVBAT, CVI VOLVERIT; per licentiam et auctoritatem Apostoli eius infamia aboletur.* Item Innocentius III. c. vlt. X. eod. Cum secundum Apostolum mulier, mortuo viro suo, ab eius sit lege soluta, et nubendi, cui vult, tantum in Domino, liberam habeat facultatem: non debet legalis infamiae sustinere iacturam, quae, licet post viri obitum, intra tempus luctus, scilicet unius anni spatium, nubat, concessa sibi tamen ab Apostolo vititur potestate: cum in his praesertim seculares leges

## 54 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

*non dedignentur sacros canones imitari.* Et diserte Viulanus in casu *L. i. C. de sec. nupt.* praemisso: *Habes ex hac lege quinque poenas, quae imponuntur mulieribus conuolantibus ad secundas nuptias intra annum luctus.* Sed hodie secundum canones impune intra annum luctus nubere possunt. Omnino igitur sine distinctione edixere Pontifices, viduam, siue plena sit partu, siue non, citra infamiam nubere alii intra tempus luctus lege Romana praesitutum: at quam recte ac rationabiliter id fecerint, quaestione est. Ill. Füttmannus quidem, quo diximus loco, mitius hac in causa praedicat Ciuli Iure Ius Canonum: nec videre sese ait, quae sit improbitas, viduis etiam intra annum luctus transeundi ad secundas nuptias potestatem dare, quas, cognitis semel Veneris deliciis, impetuosius fortasse desiderent, quam primas, cum rationes prohibitionis, si iusta lance ponderes, haud magni videantur esse momenti. Ego vero et vtile, et honestum arbitror, Romani Iuris de luctu viduarum sanctionem etiam nunc feruari, cum perniciofa Reip. sit incertitudo sobolis ob, successiones et hereditates, et publicam honestatem præmaturis illis ac festinatis nimis viduarum nuptiis laedi, intemperantiaeque ac libidinibus viam sterni, palam sit. Pontificium autem Ius cum et rationi, vt equidem arbitror, et honestati sit aduersum: miror sane, id neque displicuisse adeo summo quondam ICto, Frid. Es. a Pufendorf, vt *Obseruat. Iur. Vniu. Tom. IV. Obs. 214.* nubentibus intra annum luctus poenam, qua Iure Romano afficiuntur, omnem et infamiae et iacturae per Ius Canonicum remissam esse hodie contendere, hoc etiam iudicando fecu-

secutam scribens Curiam prouincialem Cellensem: quo tamen loco etiam in eo fallitur Vir insignis, quod non infamiam festinatarum modo, sed et repeitarum nuptiarum poenas omnino omnes Cánonum Iure cœclare existimat; cum, vti bene docuerunt Io. Sal. Brunquelius *Diff. de Condit. Si non nups.* §. 40. Tom. I. *Opusc.* p. 211. et Ill. Püttmannus *Probabil. Iur. Lib. I. Cap. 17. extr.* retinuisse Pontifices eas poenas, quae ad commodum liberorum prioris tori respiciunt, verius sit. Quin et demiror, Leyserum quoque *Spec. CCC. ad P. Med. 9.* vinci se scribere multitudine existimantium, festinatarum nuptiarum poenas abrogatas esse Iure Cænomico omnes, et obsoletas dudum moribus, eamdemque opinionem Helmstadienses ICtos sequi iudicando et respondendo. Statutis tamen ac moribus Germaniae quamuis plerisque in locis annuus luctus a viduis iterum nubere volentibus amplius non obseruetur; tamen nec secundum Pontificii Iuris dispositio nem licet iis flatim a morte mariti secundas ad nuptias connolare, vt docent Rittershusius *Nouell. Exposit.* Part. IV. Cap. 3. §. 19. seqq. item *Differentiar. Iur. Ciu. et Canon. L. II. Cap. 5.* Hier. Brücknerus *Deci sion. Iur. Matrimon.* Cap. 15. n. 23. Iust. Henn. Boehmerus *Iur. Ecclesiast. Protest. Lib. IV. Tit. 21. §. 18.* Et Saxonica quidem lege plane repetita est nuptiarum intra annum luctus prohibitio in *Ordinat. Matrimon.* de a. 1624. §. ult. *Nou. Corp. Iur. Ecclesiast. Saxon.* p. 626. Eoque iure hodienum vtuntur Saxones, licet recentius extet *Mandatum d. d. 7. Mart. 1750. wegen Abstellung und Einschränkung übermäßiger Trauer,* in *Suppl. Cod. August.* Tom. I. p. 753. cuius §. 1. generali-

## 56 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

neraliter sancitum: *Ueber Eltern, Grosseltern, und Schwiegereltern von den Kindern, worunter auch diejenigen, so an Kindes statt angenommen sind, zu verstehen, imgleichen über einen Ehemann oder ein Eheweib längstens sechs Monate oder vier und zwanzig Wochen.* Ex quo Lipsiensium quondam Antecessor, Chr. Henr. Breuning in *Quaeſtione iur. contr. de ſecond. nupt. iuſt. temp. §. vlt.* posteriori huic legi magis fore consentaneum putabat, si mulieri Saxonicae morte mariti viduae factae post luctum sex mensium nubere alteri concederetur citra legis ſolutio-  
nem: quod tamen minus probable videtur. Iure au-  
tem, quo terrarum Boruſſicarum ciues vtuntur, prohi-  
bentur viduae ante lapſum nouem mensium iterum nu-  
bere, et viris quoque viduis mora iniungitur trimeſtris.  
Sic enim habet Regis quondam ac Domini mei longe  
Clementissimi, iam ad immortalitem recepti, FRIDE-  
RICI II, *Ediſtum d. d. 26. Jul. 1747.* in Christ. Ott. My-  
lpii Corp. *Conſtitut. Marchiar. Continuat. III.* p. 179.  
vbi in fine legis de luſtu viduarum haec leguntur ver-  
ba: *In Anſehung der Wittwen belaffen wir es, der  
bekannten Ursachen halber, bey der geſetzmaßigen  
Verfaſſung, daß ſolche wenigſtens unter einer Zeit  
von drey Vierteljahren zur zweyten Ehe nicht ſchrei-  
ten dürfen.*

Sed e diverticulo in viam, ut dicitur. De Pauli  
Apostoli verbis equidem non accederim Ill. Püttman-  
no, qui neque his pro ratione ſuae ſententiae abusos  
efſe, cum poenas festinatarum nuptiarum abrogarent  
Pontifices, contendit post Hugonem Donellum Com-  
ment.

ment. *Iur. Ciu. L. XIII. Cap. 19.* Verba D. Pauli Epist. I. ad Corinth. VII. 39. haec sunt: Γυνὴ δέδεται νόμῳ, ἐφ' ὅσον χρέον ξῆ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς· ἔχει δὲ κομιηθῆ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς, ἐλευθέρος ἐσίν ὁ θέλει γαμηθῆναι, μόνον ἐν πυξίῳ. Atque eadem aliis verbis repetitur sententia Rom. VII. 3. Verum utrumque loco profecto non id fuit Apostolo negotium, ut derogaret honestissimae iuris Romani sanctioni, et prae mature iteratas commendaret nuptias, quod nec sine crimine laesae maiestatis facere potuisse: sed eorum dumtaxat voluit occurrere errori, quibus inuisae erant omnes secundae nuptiae. Ac verissime sane, libertatem istam intra annum luctus constitui, perperam existimasse Pontifices, et confusiones inuexisse secundarum nuptiarum ex male in alienum sensum detortis Epistolarum Paulinarum locis, scribit quoque Ill. Boehmerus *Diff. laud.* §. 4. quippe qui non dixerit, marito mortuo esse liberum mulieri, quando velit, nubere, sed cui velit. Neque illud praeterendum, quod addit Apostolus, μόνον ἐν πυξίῳ, *dummodo in Domino:* hoc est, μετὰ τωφοσύνης καὶ κοσμότητος, vt bene illa Pauli verba interpretatur Chrysostomus.

Finiam hoc caput, postquam, quid de propinquorum luctu, quo de item Bynkershoekius *Obseruat.* *Iur. Rom. Lib. V. Cap. 13.* iudicem, tribus verbis dicero. Vlpianus quidem parentum et liberorum, ceterorumque cognatorum luctum in arbitrio ac pietate cuiusque posuisse dicitur *L. 23. D. de His qui not. inf.* *Parentes et liberi utriusque sexus,* inquit, *nec non et ceteri agnati, vel cognati, secundum pietatis rationem, et animi sui patientiam, prout quisque voluerit,*

*lugendi sunt. Qui autem eos non eluxit, non nota-*  
*tur infamia. Verum hunc Domitii locum, qui eo-*  
*dem sensu traductus legitur etiam in Βεριλλωνίῳ libris,*  
*et in eorum Scholiis, vereor, uti censebat iam olim*  
*Cuiacius Observat. Lib. XXI. Cap. 10. huiusque se-*  
*cuti iudicium Io. Kirchmannus de Funer. Roman. Lib.*  
*IV. Cap. 10. Iac. Gutherius de Iur. Manium Lib. III.*  
*Cap. 28. et Wissenbachius Emblem. Tribon. p. 17. ed.*  
*Ludovic. dissentiente tamen Ulric. Hubero Eunom.*  
*Rom. p. 144. ne interpolauerit finxeritque suo arbitrio*  
*Tribonianus, vel animi sui secutus rationem, vel mo-*  
*rem sui temporis, remissa scilicet infamiae poena his,*  
*qui tempus luctus parentum ac liberorum, nec non*  
*cognatorum proximioris gradus, quod iure vetere fini-*  
*tum erat, non expleuissent. Nec enim aliud, op-*  
*nior, de his lugendis scripscrat Ulpianus, quam Pa-*  
*ulus, illi aequalis, qui Lib. I. Sentent. Tit. vlt. §. 13.*  
*Parentes et filii maiores sex annis, inquit, anno lugeri*  
*possunt, minores mense, maritus decem mensibus, et*  
*cognati proximioris gradus octo. Qui contra fecerit,*  
*infamium numero habetur. Qui et ipse videtur adiu-*  
*vare a Papiniano L. vlt. D. de His qui not. inf. cuius*  
*haec sunt verba: Exheredatum quoque filium luctum*  
*habere patris memoriae placuit. Idemque et in matre*  
*iuris est, cuius hereditas ad filium non pertinet. Ne-*  
*que vero turbat, quod Paulus ait, lugeri possunt:*  
*etenim saepissime posse pro debere apud ICoros, ut*  
*et vice versa debere pro posse, Cuiacius et eo, quo di-*  
*ximus loco, monuit, et Lib. XIII. Observat. Cap.*  
*17. Rittershusiusque ad Pauli Sentent. L. III. Tit. vlt.*  
*§. 1. p. 427. Schulting. et Christoph. Lud. Crellius*  
*Fascic.*

*Fascic. III. Dissertation. Crellianar. p. 484.* Ac mihi quidem multo maiorem veri videtur habere speciem Cuiaciana opinio de manu Tribonianii in d. L. 23. correctrice, utpote iuris rationi magis conueniens, cum ob factum inhonestum ipso iure infames fiant, quam suspicio Bynkershoekii, aut integrum illam Pauli sententiam, aut saltem posteriorem eius partem non esse ipsius Pauli, sed Aniani, qui eam ex legibus atque moribus Gothorum interpolauerit. Nec magis Bynkershoekiana crisi mili probatur, (ut praeterea mi nime immutata lectione haec quoque in concordiam, sed parum feliciter adducere tentantem Greg. Maiansium *Disputat. Iur. Tom. II. p. 183.*) quod V. C. Herm. Cannegieterus, ne contra Paulus, atque Vlpianus dixisse videatur, *Obseruat. Iur. Rom. Lib. II. Cap. 16.* ex aiente facit negantem rescribendo, *Qui contra fecerit, infamium numero 0, id est non, habetur:* qui tamen, vel hac recepta lectione, omni iuri aduersaretur, cum et feminam maritum defunctum decem mensibus non lugentem infamium tamen numero non habendam dixisset. Sed emendationi Cannegieteriana repugnat etiam ipsa orationis series et verborum *συνάρθεια:* nec enim quod aduersaretur, sed quod iam dictis conueniret, patet subiungere voluisse Paulum: utque aptius conueniret illi loco negatio, dici certe debuit, *Nec tamen qui contra fecerit, infamium numero habetur.*

Ceterum in transitu quoque illud non omittemus, sub finem L. 23. D. de furt. vbi Vlpianus ait: *Nos putamus, cum impubere culpae capace Aquilia agi posse.*

Item

## 60 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

*Item verum est, quod Labeo ait, nec ope impuberis furto factio teneri eum; quem locum, quo diximus loco, nec attigit eruditissimus Cannegieterus, Iauchiusque emendari putabat, si legeretur, et ope, pro nec ope, de Negat. Pand. Cap. 17. §. 35. p. 329. eo loci mihi omnino ingeminandam videri negationem, vt negandi vi detracta hoc modo legatur, nec non ope impuberis furto factio, hoc est, opem etiam furto faciendo si tulerit impubes, teneri eum. Et vero Vlpiianum ita scripsisse, aperte probant tum ea, quae statim subiiciuntur ex Paulo proxime sequenti L. 24. tum et quae legimus in L. antepen. §. ult. D. eod. tametsi non habeat ea lectio a se auctoritatem Graecorum. Nam illi minus probam secuti scripturam, aut legem Principis alicuius posteriorem, ita vertunt Tom. VII. p. 289. A. Σπεδάστε δὲ ἀλλα κλέπτοντι (οἱ ἀνηβός puta) εἰχε ὑπόκειται τῇ περὶ κλοπῆς ἀγωγῇ. Et ita et Scholiastes p. 331. C. Καὶ τέτο ἔχει οἱ ἀνηβός τῶν μεζόνων διάφορον, ὅτι ἐκεῖνοι καὶ συμβελούσαντες ὑπόκεινται τῇ περὶ κλοπῆς ἔτοι δὲ μόνον, ὅταν κλέψωσι.*

CAPVT

## C A P V T I X.

*E Digestis mendae aliquot sublatae. Cicero de Officiis correctus. Item Suetonius duobus locis fide veteris libri. Columella restitutus. Plinius Iunioris lectio in Panegyrico asserta. Martialis complura emendantur, ab ingenio, aut a libro. Quaedam item Propertii, et Ouidii, et A. Sabinii. Semel etiam corrigitur Anthologia Latina.*

**I.** Pomponius in Enehiridio *L. 2. §. 5. D. de Orig. iur.* ita scribit Florentiae: *His legibus, puta Decemuiralibus, latis coepit, ut naturaliter euenire solet, ut interpretatio desideraret prudentium auctoritate necessariam esse disputationem fori.* Quae verba cum manifeste essent vitiosa, varie ad sanitatem restituere conati sunt Interpretes. Nec male quidem Ant. Goueanus *Variar. Leff. Lib. I. Cap. 23.* Pomponium suspicatur scripsisse, coepit, *ut naturaliter euenire solet, ut interpretatio desideraret prudentium auctoritatem, necessaria esse disputatio fori.* Bachius nostrar. *Hift. Iur. Rom. L. II. C. 2. Sect. 5. §. 1.* describi postulat, *ut interpretatio desideraret prudentium auctoritatem, necessariaque esset disputatio fori.* Verum ita, quod fugerat Virum eruditissimum, emendandum iam censuerat hunc locum Muretus *Comm. de Orig. ac Progr. Iur. Rom. in Thes. Iur. Otton. Tom. IV. p. 154.* Et in eamdem conjecturam incidisse iterum reperio Celeb. Herm. Cannegieterum *Obseru. Iur. Rom. Lib.*

## 62 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

*Lib. III. Cap. 2.* nisi quod is pro *necessariam esse*, legere nos iubet, et *necessaria esset*. Praetereo Desid. Heraldi de Rer. Iudicatar. Autorit. L. II. Cap. 1. §. 6. Th. Otton. Tom. II. Bynkershoekii in *Praeterm.* ad h. 1. Tom. II. *Opusculor.* p. 20. Franc. Car. Conradi in *Praefat.* ad haec *Praeterm.* p. 16. Tom. I. hariolationes. Ego lectionem probo, quam ex vetusto codice, eamdem improbans, annotauit in margine Taurellus, et in septem scriptis repperisse testatur Brencmannus, eandemque, quod monere, ut saepe, neglexit Vulgarium quoque, quotquot mihi quidem inspicere contigit, librorum \*), ut *interpretatio desideraret prudentium autoritatem, necessariamque esse disputationem fori:* hoc est, utque *necessaria esset fori disputatione.* Transitionis huiusmodi ex una verbi strutura ad alteram exempla vide apud Dau. Ruhnkenium V. C. ad *Rutil.* Lup. Lib. II. Cap. 6. p. 95. et apud Iac. Fr. Heusingerum ad *Cic. II. Offic.* Cap. 5. p. 410. Quibus addam ex Vlpiano L. 6. §. 2. D. ad *SCT. Trebell.* Sed et ad filium, qui in potestate est, hoc senatusconsultum locum habet, et in ceteris *necessariis*, ut a praetore compellantur miscere se hereditati, sic deinde restituere: quomodo et ibidem §. 1. in *Tusca* legitur

\*) Nam quae apud Carolam Guillard, viduam Claud. Cheuallonii, et Guil. Desboys Parisiis 1552. decem minoris formae codicibus prodiit, ita varie passim immutata editio, ut nec Vulgatis accenseri possit, sic habet: *His legibus latis coepit, (ut naturaliter evenire solet) ut interpretatio desideraret prudentium autoritatem, necessariamque disputationem fori.*

gitur membrana, *Ideoque tractatum est apud Iulianum, ad intestatos locum habeat: et mendum dum tollere volebat Taurellus, si quid video, fecit edendo, an intestato locum habeat.* Item et illud addam eiusdem ICti L. i. §. i. D. de Calumn. *Hoc autem iudicium non solum in pecuniariis causis, sed et ad publica crimina pertinere Pomponius scribit.* Vtrumque enim locum aliter interpongenti non assentior Io. Conr. Rückero Observatio. Cap. 2. §. 3. et Cap. 3. §. 2. cuius tamen priorem in coniecturam inciderat iam ad d. L. 6. §. 2. Brenemannus. Simile est illud Ciceronis L. I. de Offic. Cap. 28. *Adhibenda est igitur quaedam reverentia aduersus homines, et optimi cuiusque, et reliquorum.* Et item illud Plauti Asinar. A. III. Sc. 2. v. 31.

*Vt meque, teque maxime, atque ingenio nostro decuit.*

Item Catullianum illud Carm. XCV. v. 1. seq.

*In te, si quemquam, dici poterit, putide Vetti,  
Id quod verbosum dicitur et fatuis.*

Atque hoc referendum arbitror locum Plinii Panegyr. Cap. 20. *Quam dissimilis nuper alterius Principis transitus? Si tamen transitus ille, non populatio fuit, cum abatus hostium exerceret, omniaque dextra laeuaque perusta et attrita, ut si vis aliqua, vel illi ipsi barbari, quos fugiebat, incidenterent.* Eruditissimus C.G. Schwartzius ibi censebat scribendum, exercitus; idque in Notarum Supplementis p. 597. iterum certissimum iudicat hoc sensu, ut exercitus substantiae accipiatur pro turba magna, et participium sit abatus.

Et

## 64 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

Et posset etiam minori motu reponi, *exerceretur*, id est *exerceretur*: sed mouendi quicquam causa idonea, meo quidem iudicio, nulla est.

II. Eiusdem L. 2. §. II. ait idem Pomponius: *Nouissime*, sicut ad pauciores iuris constituendi via transisse, ipsis rebus dictantibus, videbatur: per partes evenit, ut necesse esset reipublicae per unum consuli. Nam senatus non perinde omnes prouincias probe gerere poterant. Igitur constituto principe, datum est ei ius, ut, quod constituisset, ratum esset. Hic Muretus eo libro, quem superius diximus, p. 158. probat verborum *per partes* expositionem Accurianam, quae huiusmodi est: Quia primo de populo ad *senatum ventum est*, et nunc de *senatu* ad *principem*. Cuiacius quoque interpretatur κατὰ μέρη λεπτού progressū. Bynkershoekius autem in *Praetermiss.* p. 24. coniicit legendum, *per patres*, hoc est per *senatum*. Mihi videatur hunc in modum locus ille scribendus atque intelligendus: *Nouissime*, sicut ad pauciores viros iuris constituendi via transisse, ipsis rebus dictantibus, videbatur: ita etiam *per partes* (id est per factiones et bella ciuilia: nec quicquam opus, ita *per partes*, ut legatur cum Ant. Goueano *Variar.* *Leſt.* L. I. C. 24. cum saepe post ut eam particulam veteres subintelligendam omittant, ut Cortius docet ad *Sallust.* *Iugurth.* Cap. 2. p. 414. et Iac. Frid. Heuslingerus ad *Cicer.* I. *Offic.* Cap. 1. p. 4. quo loco tamen a manu Tullii fuerit, quod habent, teste Ernesto, libri complures, item tibi censeo faciendum) evenit, ut necesse esset reip. per unum consuli. Et sic dixisse idem arbitri-

arbitramur Pomponium, quod Tacitus *I. Annali Cap. 9.* non aliud discordantis patriae remedium fuisse, quam ut ab uno regeretur. Sunt enim partes hic factiones, *αἵρεσις*; atque id verbi plerosque usurpare scriptores in dissensione ciuili, docuit Lipsius *Lib. I. Elec*tio*n**n. Cap. 7.* Quod autem inferui, *viros*, ex Vulgata et manu exaratis quibusdam Brenemann; (in quo enim libris repererit hic ita scriptum, non habeo dicere, cum nota haec in codice Goettingensi vnius forte vocis omissione sit depravata) quam facile id fuerit haustum a verbo sequenti, monere nihil attinet. Illud quoque verbo addere lubet, sub finem §. 12. d. *L. 2.* non adeo certam nobis videri, quam auctori suo, Herm. Cannegietero V. C. videbatur; imo, quod pace dictum sit I<sup>CT</sup>i alia egregii, superuacaneam et inanem emendationem, qua *Obseruat. Iur. Rom. L. II. Cap. 3.* rescribere iubet, *Senatusconsultum*, quod solum senatu constitente inducitur sine plebe, pro sine lege. Sed ablegamus lectores ad Bachium *Hist. Iur. Rom. L. II. Cap. 1. §. 12.* cuius tamen opinione non utimur, libertate etiam vigente, SCta populum obligasse. Vid. Schultingius *ad Προτα p. 25. edit. Vhl.* et Henr. Io. Arntzenius *Miscellaneor. Cap. 9. et 10.* Bene vero etiam hic Accurrius: *Sine lege, id est sine interrogacione populi.* Nec enim in SCtis interrogatur populus, ut siebat in compositione legis.

III. *Adoptiones*, inquit idem adhuc Pomponius, ut in Florentino codice legitur *L. 43. D. de Adopt.* non solum filiorum, sed et quasi nepotum fiunt: ut aliquis nepos noster esse videatur, perinde quasi ex filio, vel Kochl. *Interpr. L. II.*

E

incert-

## 66 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

*incerto natus sit.* Antiquioribus cisis est, *ex filio, vel deinceps:* ingeniose vero *ex incerto, incerte* fecit Haloander. Brencmannus quidem nihil mutandum ait; sed, solum commate sublato, accipendum, *ex filio vel incerto, pro ex aliquo filio.* Ego vero vocem plane arbitror intercidisse, eaque reducta scribendum, *perinde quasi ex filio certo, vel incerto natus sit.* Similiter Florentiae in ipsis eiusdem Pomponii *L. i. pr. D. de C. et D. Legatis, quae relinquuntur, aut dies incertus, aut conditio adscribitur:* corrigendum aio, *aut dies certus, aut incertus.* Ob subiectam enim interpretationem dubitari nequit, quin et hoc in sua divisione de die certo mentionem fecerit Pomponius. Vulgati quidem et Haloander de suo forte dederant, *dies aut certus, aut incertus, aut conditio:* et Rückerus *Obseru. Cap. 3. §. 19.* Taurelli putabat fuisse, quod in Tusca repererat membrana, sic edere, *in CERTVS, AVT, i. e. incertus, aut certus.* Sed nostra verior sine dubio sententia. Obiter et corrigamus consimile mendum apud Ciceronem *L. i. de Offic. Cap. 29.* *Facili<sup>r</sup> igitur est distinctio, inquit, ingenui et illiberalis ioci.* Alter est, si tempore fit, ac remissō animo, homine dignus: alter ne libero quidem, si rerum turpitudini adhibetur verborum obscenitas. In qua recepta olim scriptura transposuere Viri quidam docti, et nouissime quoque summus Ernestus verba, *homine et libero;* idque saltē re iubente: nuper autem, quod non videtur ferendum, doctissimus Iac. Fr. Heusingerus auctore uno libro Gothano et de patrui sententia edidit, *si tempore fit, remissō homine dignus:* nec probo, quod ex scriptis Nonii Guelphebytanis et ex edi-

editione Merceri reposuit, *si rerum turpitudo adhibetur, aut verborum obscenitas.* A Cicerone suspicor fuisse, *Alter est, si tempore sit, ac renissimo animo, homine libero dignus: alter ne homine quidem, et quae sequuntur.*

IV. Vlpianus in *L. 5. §. 1. D. de Paſt.* *Publica conuentio est, inquit, quae fit per pacem, quotiens inter se duces belli quaedam paciscuntur.* Ita scriptum est Vulgo et apud Florentinos: nec erat, cur suspectum illud, *se,* videretur Taurello. Pro *per pacem* autem, quod et habuere consensu decem scripti a Brenckmanno inspecti, et ipse, propter *pacem*, putabat corrigendum, dedere cum Haloandro Hugo a Porta et Baudoza, *per principem;* idque placebat Vinnio de *Paſt.* *Cap. 2.* at ego, cum Graeci quoque scriptum inuenerint, *per pacem,* probare non possum. Scribam expuncta voce, *quae fit per pacem, quotiens inter se duces belli paciscuntur:* ut intelligatur, publicae conuentioneis hoc esse exemplum, quando in certas leges conuentione belli ducum pax datur. Ita Basilica Tom. I. p. 720. B. ὡς ὅταν οἱ σερπηγοὶ πρὸς αλλήλες περὶ εἰρήνης συμφωνήσωσιν. Et Scholiaſtes p. 752. Α. Καὶ δημοσίᾳ μὲν κορμβενίᾳ γίνεται, ὅτε πολέμος κατέβλος συμφωνεῖται περὶ εἰρήνης οἱ ἐκατέρεων σερπενομένων ἥγεμονες. Quamquam possit etiam, retento *quaedam,* et una insuper vocula interiecta, quam facile elicit vox proxime sequens, totus locus sic legi: *Publica conuentio est, quae fit per pacem, aut quotiens inter se duces belli quaedam paciscuntur.* Inducias puta ad tempus obſeruandas, aut de reddendis captiuis,

## 68 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

aut remittendis transfugis, aliisue rebus, quae spectant ad belli administrationem. Atque huic conjecturæ, praeterquam quod iidem, quos nominaui, Editores post ista, per principem, inferunt, aut, valde etiam patrocinari videtur Harmenopulus προχείρες Lib. I. Tit. 9. §. 1. Δημόσια σύμφωνα, inquiens, τὰ περὶ ἐξουσιῶν καὶ ἡγεμόνων ἔθνων, πρὸς εἰρήνην τυχόν, οὐδὲ τι τοιότον. In legis autem initio quicquid pro recepta lectione, quam sequi videtur et Psellus *Synops.* Leg. v. 989. in *Th. Meermann. Tom. I.* dixerint Noodtius de Paß. et Transaff. Cap. 7. et Schultingius ad *Περὶ τας h. t. §. 2. p. 187.* omnino tamen, ne, quae duo sunt genera, tria faciat ICtus, et divisiones cum subdivisionibus misceat, scribendum videtur: *Conuentiōnum autem IIae* (i. e. duae; non tres, quod e litera numerali pro syllaba posita ortum puto) *sunt species.* Aut enim ex publica causa sunt, aut ex priuata. Priuata aut legitima, aut iuris gentium. Et tale mendum (vt id obiter addam) est etiam nunc apud Suetonium in *Tiberio Cap. 14.* Et mox, inquit, cum Illyricum petens iuxta Patarium adisset Geryonis oraculum, sorte traxa, qua monebatur, ut de consultationibus in Aponi fontem talos aureos iaceret, euenit, vt sumnum numerum iacti ab eo offendarent: hodieque sub aqua vifuntur ii tali. Repono fide Berolinensis Regii, qui est anno 1477. vt et nuper ipsi Berolini vidimus, et traditur in *Io. Car. Corr. Oelrichii V. Ill. Entwurf einer Geschichte der königl. Bibliothek zu Berlin p. 18.* in membrana Neapoli ab Ant. Sinibaldo Florentino nitidissime scriptus, cuiusque variantes in Tranquillo lectiones, anno 1666. manu Frid.

Frid. Beselii, Tilsa Borussi excerptas, e Bibliotheca  
 Senatus Regiomontani amice a Christ. Iac. Krausio,  
 V. C. et Collega quondam nostro, Bibliothecae illius  
 curam gerente, communicatas habuimus, duo tali:  
 id enim sic scriptum fuit nota numerali, *II* tali. At  
 que huic simillimum errorem iam olim deprehen:  
 dit acutissimus Ierem. Marklandus *Explication. Vet.*  
*Auctor*, post Euripidis *Inferidas* p. 266. in Caesaris *B.*  
*C. Lib. I. Cap. 66*, vbi equidem malim, *Media nocte*  
*IIIs*, (i. e. duobus, pro iis, quod nunc editur) qui  
 ad aquandi causa longius a castris processerant, ab  
 equitibus correptis, etc. quam, uti Marklandus corri:  
 gendum existimat, duo correpti, cum τελέσαι posse  
 hanc vocem distinctione.

V. In Florentino codice *L. 10. D. de Hered. inf.*  
 scripsisse traditur Paulus: *Si alterius atque alterius*  
*fundi pro partibus quis heredes instituerit: perinde*  
*habebitur, quasi non adiecit partibus heredes scripti*  
*essent. Nec enim facile sed diueritate \* partium)*  
*portiones inueniuntur. Ergo expeditius est, quod*  
*Sabinus scribit, perinde habendum, ac si nec fundum,*  
*nec partes nominasset. Et in Annotatis inibi ad vocem,*  
*partium, Taurellus: Sic fecimus, ut minus immuta:*  
*remus lectionem P. vbi est pretium. Haloander au-*  
*tem et Vulgati habent, praediorum, approbantibus*  
*idem octo scriptis Brencmanni, et modo ex, pro sed:*  
*quod utrumque in margine posuit Taurellus. Cuiacio*  
*in Comment. ad h. l. placebat Florentini, pretium; ut*  
*id positum esset pro praediorum. Ex notis V. C. Io.*  
*Cannegieterus corrigebat, S. ED. i. e. fine edita diuer-*

## 70. INTERPRETAT. ET EMENDAT.

*sitate partium.* Sed vera correctio est, vt arbitror,  
*Nec enim facile ex diuersitate praedii partium portio-*  
*nes, hereditariae puta, inueniuntur.* Simile est in *L.*  
*34. D. de Procur.* vbi procurator proprio, scribendum  
 pro eo, quod legitur, *procuratorio*, (*non proprio*,  
*pro procuratorio*, vt in Goettingensi editione dicitur)  
 bene vidit Ant. Faber *Coniecturar. Iur. Ciu. Lib. XII.*  
*Cap. 10.* probante Bern. Henr. Reinoldo *Varior. Cap.*  
*18.* Noodioque *Comment.* ad *D. h. t. p. 71.* frustra ve-  
 ro dissentiente Hilligero *ad Donell. Encl. L. XVIII.*  
*Cap. 13. Lit. H. p. 391.* et, qui sequitur Hilligerum,  
 Schultingio *Thes. Controu. Dec. X. Th. 5. p. 29.*  
 quamuis et hic laudet Fabri emendationem *ad Περιττα*  
*p. 253.* Sed firmat eam omnino Scholiares Graecus  
*Th. Iur. Meerm. Tom. V. p. 14.* dum verit, εάν τις  
*in rem suam γενόμενος προκεχειτωρ καη την ἐντεῦθεν*  
*ἀγωγήν.* Et offendit nuper quoque similiter peccatum  
 apud Columellam, quem et insigni eadem nunc opera  
 leuabimus orto ex compendio errore *Lib. VI. de Re*  
*Rust. Cap. 14. extr.* vbi, tumenti bouis ceruici quibus  
 sit subueniendum remediis, postquam praecepit, deinde  
 subiicit: *Clauorum, qui fere ceruicem infestant, mi-*  
*nor molestia est: nam facile operenti lucerna infillatur.* Sic editiones nullo sensu.  
 Rescritbit doctissimus  
*I. Bapt. Morgagnus Epist. in Script. Rei Rust. III.*  
*§. 25. nam facile sanantur lucerna infillata.* Minor  
 autem motu Gesnerus, *nam faciliter opera de lucerna*  
*infillatur.* Sed imperfecta est etiam in hac lectione  
 sententia: nec enim commode oleum, cuius nulla est  
 in superioribus mentio facta, intelligitur. Evidenter  
 crediderim ab auctore profectum, *nam facile oleo per*  
*arden-*

*ardentem lucernam instillato sanantur.* Ut fuerit prioris mendi causa in concisa scriptura, o. per *antē*, id est, oleo per ardente, et ex coalitione ortum istud, *instillatur*. Nec aliter suo in exemplo videtur habuisse, qui multa ex hoc Columellae libro est mutuatus, P. Vegetius *Mulomed.* Lib. III. Cap. 4. Quae cervicem *infestant*, inquit, (intellige, eorum: nec enim placet Morgagni correctio, e Columella legendum iubentis, Clavorum, qui *cervu.* inf.) minor est cura. Nam facile sanantur per ardente lucernam oleo *instillato*. Confirmat vero denique et ipse ita se scripsisse Columella Lib. VII. Cap. 5. vbi in quibus clavos curare docens, *Tuberculum*, inquit, *cui subest vermiculus*, *ferro quam cautissime circumsecari oportet, ne, dum amputatur, etiam, quod infra est, animal vulneremus*: id enim cum fauciatur, *venenatam saniem mitit*, quae res ipsum (sic enim omnino, nisi me fallit animus, legendum, non qua *res persum*, etiam si neminem in his obhaesisse commentantium inueni, sed auctore libro, vnde deprauate in Leidensi MS. qua *res pressum*, et in editionibus primis, qua *repressum*) *vulnus ita insanabile facit, ut totus pes amputandus sit*: et cum tuberculum diligenter circumcidetur, *candens* *seuum vulneri per ardente tadem instillato*. Est quoque tali omnino errore bis peccatum apud Modestinum L. 72. D. de *Furt.* quae in hunc modum extat Florentiae: Sempronia libellos composuit, quasi *datu- ra centurioni*, ut ad officium transmittenetur: sed non dedit. Lucius pro tribunal<sup>e</sup> eos recitauit, quasi officio traditos. Quaero: non sunt inuenti in officio, neque centurioni traditi: quo crimine subiiciatur, qui

## 72 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

*aufus est libellos de domo subtrahos pro tribunali legere, qui non sunt dati? Modestinus respondit, si clam subtraxit, furtum commisum. Ibi Brencmannus notat, antiquius paulo esse in Florentina membrana correctum, cum non sunt inuenti, idque cum Vulgatis maluisset Haloandrum; atque eamdem scripturam Rehdigeranum quoque seruare, Gebauerus monuit. Ego mutilum locum esse dico libris in Latinis omnibus, et veriorem restituendam lectionem, repetitis, quae periere, repositisque locum in suum de interpretatione κατὰ πόδα Graeci Scholiaстраe, in hunc modum: Lucius (aut, si mauis, Titius, cum editis Antiquioribus) pro tribunali eos recitanit, quasi officio traditos. Quae si vero, non sunt inuenti in officio, neque centuriioni traditi. Quaero, quo crimine subiiciatur, et cetera. Verba autem Basilicorum Interpretis Tom. VII. p. 364. B, haec sunt: Σεμπρωνίας λιβέλλας συνέγραψεν, ὡς μέλλεσσα διδόναι αὐτές τῷ κεντυρίῳ, ἀλλ' ἐδὲ δέδωκεν αὐτές. Λέκιος δὲ τις ἀνέγρα τέττας τέσσας λιβέλλας πρὸ βίματος, ὡς περιφθέντας τῇ τάξει παρὰ τῆς Σεμπρωνίας. Ζητηθήσεις δὲ παρὰ τῇ τάξει εἰ λιβέλλας ή ως εὑρέθησαν. καὶ ζητῶ, ποιῶ ἐγκλήματι ὑποβεβληταί οἱ Λέκιος τέττας τέσσας λιβέλλας αναγνὺντες καὶ πρὸ βίματος τέσσας μάτι τῷ κεντυρίῳ παραδοθέντας, μῆτε τῇ τάξει. καὶ λέγεται οἱ Μοδεστῖνος, ἐάν λαθεσσίως ὑφέλετο αὐτές καὶ ἐπ τῷ οἴκῳ τῆς Σεμπρωνίας, πλοπὴν ἥμαρτεν.*

VI. Si bene collocatae sunt pecuniae publicae, inquit Ulpianus L. 33. D. de Vsur. ut referunt P. Florentinae, in sortem inquietari debitores non debent:

et

et maxime si parient usuras. Si non parient, prospicere reipublicae securitati debet praeses prouinciae: dummodo non acerbum se exactorem, nec contumeliosum praebeat, sed moderatum, et cum efficacia benignum, et cum instantia humanum. Nam inter insolentiam incuriosam, et diligentiam non ambitiosam multum interest. Bynkershoekius autem Observat. Iur. Rom. Lib. VI. Cap. 4. pro si parient usuras, ut ubique legitur, censet scribendum, si pareant usuris, moxque iterum, pareant, pro parient; in quo me non assentientem haber eruditissimus ICtus. Ego haec interpretor, quamdui usurae penduntur: nec aliter legisse arbitror Graecos, qui Tom. III. Βασιλικὴ p. 384. C. Ἐὰν πελᾶς δανειζῶσι, inquiunt, τὰ πολιτικὰ χρέματα, καὶ οἱ τόποι παταβάθλωνται, ἐν ὄχλῳ τῷ τῶν κεφαλαίων οἱ χρεῶσι. Sed profecto in eadem lege pro insolentiam incuriosam Florentini exemplaris, quod tuetur Bynkershoekius, et Vulgationum insolentiam curiosum, Noricique insolentiam iniuriosam, scribi, meo quidem iudicio, sententia postulat, insolentiam incuriosam: cui prorsus proprie opponitur non ambitiosa, hoc est non affectata, non nimia, diligentia: initio licet Scholia Graeco, qui Tom. III. p. 444. D. τῆς ἀμελεῖς ἀλαζονείας vertit, et damnante in Annotat. ad P. Prior, p. 816. Guil. Budaeo, qui vocabulum ipsum, Gesnero etiam et Lexicographis, quod sciam, omnibus ignoratum, Latinum esse negans, quod solerti non insolers opponatur, sed iners, cum Antiquis, insolentiam curiosam, legendum censet. Ego vero sequor Accursium, diligentem et eruditum satis pro aei illius captu Interpretem, qui,

E 5

Alias,

74 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

*Altius, inquit, insolertia incuriosam. Et est insolertia incuriosa, magna negligentia: ut si quaerat quis pecuniam per singulos annos tantum semel.*

VII. Manifeste est ubique vitiosa, quae ex libro sententiārum Pauli quinto refertur *L. 2. D. de Fide instrum.* Quicunque, inquit, a fisco conuenit, non ex indice et exemplo alicuius scripturae, sed ex authentico conueniendus est: ita si contractus fides possit ostendi. Ceterum calumniosam scripturam vim in iudicio obtinere non conuenit. Sic et Vulgo legitur, et in Tusco exemplari. Haloander vero, quem suo more Russardus sequitur, sine libris scripsit procul dubio, ut ita contractus fides possit ostendi. Et apud Paulum Sentent. Lib. V. Tit. 12. §. 11. editur, et si contractus fides possit ostendi. Mihi visum aliquando utrobique corrigere, ut si Contractus, i. e. sic contractus, fides possit ostendi. Sed dimouit me postea ab ea opinione Scholiafestes Βασιλεὺς, quo manuducente iam repono: Quicumque a fisco conuenit, non ex indice et exemplo alicuius scripturae, sed ex authentico conueniendus est. Ita, si contractus fides non possit ostendi. Et haec melior sententia, quia etiam exemplo fides haberi debet, si certum sit et publica fide transcriptum, arg. *L. 57. D. de Adm. tut. L. 2. C. de Testam.* quod et, reiecta Scabinorum Lipsiensium opinione, respondisse monet anno 1726. Ordinem iuridicum Lipsensem Vitembergensis nuper ICTus doctissimus, Christoph. Ludov. Crellius *Diss. de Fide instrum.* §. vlt. in *Fascic. V. Dissertation.* Crellianar. p. 790. iis verbis: *Dieweil gerichtlich vidimirte Abschriften* für

für solche Dokumente, so gar nichts beweisen könnten, und folglich nicht rekognosiert werden dürften, keinesweges zu halten. Graeci autem interpretis Tom. III. p. 50. C. haec verba sunt: Οὐ καλῶς ὁ φίσον δύναται μεθοδεύειν τινὰ, εἰ μὴ τὸ αἴλαθος ἵντεμεντον προφέρει· καὶ τέτο οὐχ' ἀπλῶς, αὐλὶς ἡνίκα ἐτῇ συναλλάγματος πλησίς δέινωδας & δύναται. Isque locus, cuius sententiam supina sua negligentia plane peruerit Fabrotus, ex impressis Pandectarum libris inferendo, et illud non simpliciter, sed ita si contrarius fides ostendi possit, sic potius verti debuit: Non recte conuenit aliquis a fisco, nisi verum instrumentum proferat: idque non simpliciter, sed si fides contrarius non possit ostendi.

VIII. Senatoris filiam, quae corpore quaestum, vel artem ludicram fecerit, aut iudicio publico damnata fuerit, impune nubere libertino, scribit Paulus L. 47. D. de R. N. Nec enim honor ei servatur, inquit, quae se in tantum \*foedus) deduxit. Ita si Florentinum sequimur codicem, cui suspecti loci signum addidit Taurellus; cum in aliis sit, scelus, pro foedus. Corruptus autem hic est sine dubio librorum optimus: quis enim credat cum P. Fabro Lib. II. Semestr. Cap. 12. et cum Ill. Püttmanno Prohabil. Iur. L. I. Cap. 3. §. 4. pro eo, quod Graeci τὸ αἴλαθος dicunt, hoc est pro foeditate et turpitudine, dixisse Paulum tritum adeo alia potestate vocabulum: aut cum V. C. Io. Gotfr. Sammeto Varior. Iur. Ciui. Cap. 5. Opusculor. p. 232. pro foedere connubiali seu meretricio accipi velit, vt et tantum sit idem, quod tam vile? Sed non enumera-

bimus

## 76 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

bimus coniecturas, quibus ad sanitatem locum reducere tentarunt Critici. Nobis, quae se in tantum dedecus deduxit, a Paulo videtur. Sic enim et Iustinianus *L. vn. §. 2. C. de Rapt. virg.* *Nisi etenim eam sollicitauerit, nisi odioſis artibus circumuenerit, non faciet eam velle in tantum dedecus se prodere; parentibus (quorum maxime vindicta intererat) si patientiam praebuerint, ac dolorem remiserint, deportatione plementis. Nec absimili multum locutione in dedecora incurvare dixit Cicero *L. I. de Fin. C. 14.**

IX. Si quis virginem appellasset, scribit Florentiae in *L. 15. §. 15. D. de Iniur.* Vlpianus, si tamen ancillari vesti vestitus: minus peccare videtur. Multo minus, si meretricia vesti feminae, non matrum familiarum vestitae fuissent. Si igitur non matronali habitu femina fuerit, et quis eam appellavit, vel ei comitem abduxit: iniuriarum tenetur. In quo quod ait iniuriarum teneri, si quis feminam non matronali habitu de stupro appelleat, depravatum esse, cum sententia pessima, tum et quod id ipsum e superioribus quasi concessis concludit, fatis docent: nec possum adeo, quin diuersus abeam a doctissimo olim Marburgense ICto, Io. Lud. Conrado, qui recte atque emendate scriptum hocce caput, et quocumque deceptus errore virginem quis appellaverit, iniuriarum ex Praetoris Edicto teneri, censem. *Opusc. e Iur. Ciu. Vol. II. p. 3.* Verum non eo loco, si quid video, vitiatus est Vlpianus, cui mendum eximere conati sunt Interpretes. Vulgares libri et Haloander addunt negationem, iniuriarum non tenetur. At contra Bynkershoek-

hoekius (vt omittam Desid. Heraldi *Obseru.* et *Emen- dat.* Cap. 12. *Theſ. Iur. Otton.* Tom. II. et aliud Iau- chii de Negat. P. Cap. 4. n. 73. p. 41. et Cap. 17. n. 36. p. 329. itemque aliud Io. Voetii *Comment.* ad P. h. t. §. 13. Tom. VI. p. 527. ed. Halenſ. *commentum*) ma- gis esse ait *Lib. IV. Obseruat. Iur. Rom. Cap. 25.* quo fortius neget ICtus, vt scribatur, interrogationis nota addita, *iniuriarum tenetur?* quo sensu tamen *tenebi- tur*, vel *teneatur*, scribi potius debuisse, bene monuit iam loco, quem diximus, Conradus. Nos non dubi- tamus Vlpianum scripsisse in praecedentibus sine nega- tione, *Si igitur matronali habitu femina fuerit.* Sic enim diserte Graecus Scholiastes Tom. VII. p. 488. B. Τὸ πλάτος ἐγραψέχει ὁ τῇ τοιωτῇ ἐν προσβάλλῳ ἡτ- Ην ἀμαρτάνει· εἰ δὲ πατέρα σικοδέσποιναν ἡμφίεσο ἡ γυ- νὴ, ποιήσει τις αὐτῇ προσέβαλεν, ἢ τὴν παρακολεύθεσταν αὐτῇ αἴφειτο παρὰ αὐτῆς, τῇ λιθράράρεμ πατέχεται. Quamquam aliud longe hic habent ipfa Basilica, quo- rum conditores adeo iam habuisse putas mendosam in libris suis lectionem; vel etiam, quod potius videtur, dissensisse hac parte ab Vlpiano, aut ex constitutione quadam recentiore ius prius correxisse. Verba haec Basilicā p. 466. D. Ο προσβάλλω γυναικὶ ἐνδεδυ- μένη σχῆμα δέλης ἢ πόρνης, ἥτιον μὲν ἀμαρτάνει, ὑπόκειται δὲ τῇ περὶ ὑβρεῶς ἀγωγῇ καὶ ὁ ἀποσπάσας τὸν ἀκόλθον αὐτῆς, εἴτε δελός ἐσιν ἢ ἐλεύθερος, αὐτὴς ἡ γυνὴ, ἐν δημοσίᾳ ἢ ἴδιωτικῷ τόπῳ.

X. Ex hoc, quem modo pristino videmur restituif- se candori, Vlpiani loco corrigendum, sed perperam, mea quidem sententia, censebat Bynkershoekius alte-

## 78 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

rum eiusdem ICti, cui σχόλιον aliquod ego potius eximendum arbitror, ut sincerum habeamus. Domiti in princ. L. 49. D. de Legat. III. dicuntur haec esse verba: *Item legato continentur mancipia, puta lecticarii, qui solam matremfamilias portabant. Item iumenta, vel lectica, vel sella, vel burdones. Item mancipia alia: puellae fortassis, quas sibi comatas mulieres exornant.* Posteriora vt e P. Florentinis exhibui, manifeste, vt equidem arbitror, sunt mendosae: nec probbo horum a Iac. Raeuardo Coniesthaneor. Lib. II. Cap. 18. proditam interpretationem, vti puellae nobiliorum matronarum comites *comatae* appellantur, quarum coxae calido ferro inustae crispataeque acu comari confuerint ab ornaticibus. Nihilo autem magis placere mihi posse videtur, quod extat, excepta Ludov. Blaubomii Paris. 1523. editione, quae, vt in plurimis, Tulcam lectionem plane refert, in Vulgatis exemplaribus, *quas sibi cosmetas mulieres exornant:* nec quod ex ingenio haud dubie Haloander, *quae scilicet comant mulieres et exornent,* addita in margine Florentini libri scriptura: nec quicquam denique in MSS. Brencmanni, teste Gebauero, est praefidii. Cuiacio Lib. XI. *Obseruat.* Cap. 16. reponere visum, *queis sibi comas mulieres exornant.* Bynkershoekio *Obseruat.* Lib. V. Cap. 19. placebat, *quas, sibi comites, mulieres exornant:* vt matronarum comitatum, cuius memineras L. 15. §. 15. D. de Iniur. et quo (vt hoc adiiciam) respexisse Plautum etiam manifestum est in *Amphitruone A. III. Sc. 2. v. 47. seqq.* ubi Alcumenam sic loquentem facit:

Vales,

*Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas.*  
*Iuben' mi ire comites? IVP. Sanan' es? AL. Si*  
*non iubes,*  
*Ibo egomet, comitem pudicitiam duxero:*

intellexerit hic quoque Vlpianus. At ego Bynkershoeckio non assentior: et ob Vulgatae editionis lectionem (vt omittam Dan. Ge. Trilleri in *Observation. Crit. Lib. IV. Cap. 15.* parum profecto probabiles coniecturas) mihi quidem proxime iam a vero asuisse videtur summus Grotius, cum in *Flor. Spars. ad Ius Inflin.* p. 151. scribendum censeret, *puellae fortassis, siue cosmetae, quae mulieres exornant.* Et aptius fuerit adhuc ad scripturam et veterem et Florentinam, *pueliae fortassis, quae, sicut cosmetae, mulieres exornant.* Ego tamen potius, spurio isto, *siue cosmetae, quod adscriptum ab aliquo primum in margine, ut et viros, qui mulieribus ornandis serviebant, hoc referri potuisse indicaret, in orationem postea ICti, mendose insuper et loco alieno ab imperito librario scriptum, immigraisse videtur, reiecto, censeo emendandum.* Item *mancipia alia: puellae fortassis, quae mulieres exornant.* De Ornaticibus autem his, et de Cosmetis legendus Laur. Pignorius *de Seruis* p. 390. Ipse, ut emendatus posthac habeatur, ex Martiale *Lib. II. Epigr. 66.* quod est in Lalagen, vti legendum arbitror, subscriptam:

*Vnus de toto peccauerat orbe comarum  
 Anulus, incerta non bene fixus acu.  
 Hoc facinus Lalage speculo quod viderat, vlt̄a est;  
 Et cecidit sc̄tis iacta Plecusa comis.*

*Define*

## 80. INTERPRETAT. ET EMENDAT.

*Desine tam, Lalage, tristes ornare capillos,*

*Tangat ad insanum nulla puella caput,*

*Hoc salamandra voret, vel saeva nouacula nudet,*

*Vt digna speculo fiat imago tua.*

Hic primum pro vulgato, *speculo*, quo viderat, legebam de coniectura, *speculo quod viderat*; idque postea comperi comprobari ab exemplo Lugdunensi anni 1552. quod adiunctos habet Domitii Calderini et Ge. Merulac commentarios. Deinde, *hoc salamandra voret*, pro *notet*, restitui ex margine Codicis Berolinensis Regii, cuius e Bibliotheca Senatus Regiomontani varias olim descripsimus lectiones, a Frid. Besselio anno 1665. ad exemplar Iosephi Langii Argentinæ 1595. excusum excerptas; cum a librario aequae vitiose esset, *Hoc salamandra nocet*. Item modo in versu quarto, perperam omnino, si quid iudico, a Nic. Heinsio ad *Albinouani Epiced. Druſi v. 98. et Aduersar. L. III. Cap. 15. p. 321.* nec repugnante tamen P. Burmanno Iuniore ad *Propert. Lib. IV. Eleg. 7. v. 41.* tentato, malui *iacta Plecusa*, pro *icta*, quamvis in scidis Berolinensibus esset, *lacta*; vbi vero et Besselius, *An iacta?* inquit: idque est, vt equidem arbitror, caesa, percussa; non, *speculo incusso*, vt Besselius quoque existimasse videtur, inherens nempe vitiosae praecedentis versus lectioni. Similiter autem et in alio libro Horatii Regio, cuius discrepantes a vulgatis lectiones itidem excerpit in codem suo *Miscellaneorum Syntagma MSto*, quo varias lectiones ex scripto Martialis libro annotauit, idem Besselius *Lib. I. Carm. 25. v. 2.*

*Parcius iuantes quaunt fenestras*

*Iactibus crebris iuvenes proterui,*

reper-

repertum ab eo video, pro *Ictibus crebris*: idque et in aliis veterissimis membranis lectum et probatum Nic. Heinsio ad *Ouid. IX. Metam.* v. 36. et ipse verum putto. Male denique vulgatis apud Martialem versu ultimo est, *tuo*; pro quo rectissime vetus noster, *tua*.

Atque ita cum iam unum Regii exemplaris ope restitutum a me sit integratissimum suae Martialis carmen; quo aliquantis per e laboriosis Ictorum agris in amoeniora prata concedam, libet adhuc aliquot Hispani Poëtae locos hic subiicere, ut et integriores in posterum legantur eiusdem libri beneficio, recentissimae licet aetatis, quippe qui seculo demum quinto decimo in membrana scriptus esse putetur; (vid. V. C. Io. Car. Conr. Oelrichii *Entwurf einer Geschichte der königl. Bibliothek zu Berlin p. 119.*) de vetustis tamen codicibus prodūsse, indicio, ut opinor, hoc est, quod praeter monstrata quaedam lectionum etiam multas habet prorsus egregias, et indicatas ex libris aliis a nomine dum, quod sciam. *Lib. I. Epigr. 30. ad Fidentinum:*

*Fama refert nostros te, Fidentine, libellos*

*Non aliter populo, quam recitare tuos.*

*Si mea vis dici; gratis tibi carmina mittam.*

*Si diti tua vis; haec eme, ne tua sint.*

Elegantior mihi videtur esse cum Besselio, et verior omnino lectio scripta, *hoc eme.* Eme in hoc, ne mea sint, sensus est. *Epigr. 73. ad eundem Fidentinum:*

*Nostris versibus esse te poëtam,*

*Fidentine, putas, cupisque credi?*

*Sic dentata sibi videtur Aegle,*

*Koehl. Interpr. L. II.*

R

Emitis

82 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

*Emitis offibus, Indicoque cornu:  
Sic, quae nigror est cadente moro,  
Cerussata sibi placet Lycoris.  
Hac et tu ratione, qua poëta es,  
Calvus cum fueris, eris comatus.*

Pro *cadente moro*, erat in *Regio mendose, candente mauro*. Et acute quidem Besselius, *Forte*, inquit, *candente Mauro, id est Aethiopo*. Sic apud Manilium *L. III. Astron. v. 108.*

*Format amicitias, et saepe calentia frustra  
Officia, et cultus,*

probo reponentem Cel. Iac. de Rhoer *Periar. Da-  
ventr. L. II. Cap. 9.* pro *cadentia*. Sed mihi contra reliquos libros nihil hic immutandum videtur. Centies enim in antiquis codicibus locum mutat *O* litera cum *Au*. Vide N. Heinsium *ad Ouid. Metam. L. XII. v. 430.* et in *Notis ad Catull.* post *Aduersaria eius editio-* *p. 650.* Et videtur in mente fuisse calamo aberranti librario locus ille Ouidii *L. IV. Metam. v. 127.*

— *Madefabitaque sanguine radix  
Poeniceo tinguit carentia mora colore.*

Quae illic vera, opinor, lectio; non *pendentia mora*, vti nunc editur. Recte vero mox, ni fallor, Berolinensis, *Hac et iam ratione, pro Hac et tu ratione.* Nam haud raro illud, *iam*, adhibetur vt celeritatis particula. Burmannum vide *ad VII. Met. Ouid. v. 306. Epigr. 90. ad Cinnam:*

*Garris in aurem semper omnibus, Cinna:  
Garris et illud, teste quod licet turba.*

*Rides*

*Rides in aurem, quereris, arguis, ploras:*

*Cantas in aurem, iudicas, taces, clamas.*

*Adeone penitus sedit hic tibi morbus,*

*Vt saepe in aurem, Cinna, Caesarem laudes?*

Hoc tam frigidum quis credat esse a Martiale? Sic tamen omnes hactenus typis vulgati: nec vidi sanando loco quicquam appositum; nisi quod I. Fr. Gronouius: *Nullam vim video in interrogatione. Itaque magis probo, quod est in Arondell. Adeoque penitus.* Sed germanum Auctoris procul dubio est, quod praefert Regius, litera solum immutata, et sine interrogandi nota, *Adeoue penitus.* Atque huius e margine libri (corrupte enim erat in ipso textu, *Garrite et illud*) initio quoque carminis legendum,

*Garris in aurem semper omnibus, Cinna,*

*Garrire et illud teste quod licet turba.*

Ita vero iocus lepidus est fane, dum, Cinnam carpens Poëta, morem in aurem omnibus garriendi vel adeo penitus ei infidisse ait, vt nec Caesarem, quod posset, aperire laudaret, sed omne verborum genus in aurem alterius admoneret Lib. II. Epigr. 82. ad Ponticum:

*Abscissa seruum quid fingis, Pontice, lingua?*

*Nescis tu populum, quod tacet ille, loqui?*

Optime, meo quidem animo, Berolinensis liber,

*Abscissa seruo fugias quid, Pontice, lingua?*

Quomodo et in editionibus primis scriptum reperisse se, et in Palatino suo optimo, *quod fugis, Pontice, scribit* Gruterus. Nihil autem opus, vti legatur etiam, *Abscisa, cum Cl. Ant. de Rooy Coniectur. Critic. in*

84 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

*Martial. p. 17. pro Abscissa: nec probo Cl. Ryklof Mich. van Goens Epist. Crit. Coniecturis iisdem adiecta p. 6. legentem cum Thuaneo vetere, figis, sensu impudico. At sequente versu, Nescin' tu, scribendum omnino cum Henr. Io. Arntzenio V. C. Miscellaneor. Cap. 16. p. 176. Ut et apud Propertium (obiter etiam hoc vt admoneam) dubio est procul, me quidem iudice, legendum Lib. II. Eleg. 13. v. 49. seq.*

*Vidiſſin' toto ſonitus percurrere caelo?*

*Fulminaque aetherea deſfluifſe domo?*

Perperam illic pro *Vidiſſin'*, quod et dederat Broukhufiana, recepit ex MSS. et editionibus priscis P. Burmannus Secundus, *Vidiſſis*, totumque ceterum distichon edidit cum eodem Broukhusio secundum Heinſium, vbi obtemperandum potius fuerat, reiecit Heinſianis commentis, veterem reducenti lectionem in praeclarā sua ad hunc Umbri Poetae locum animaduertione ſummo Hemſterhusio. *Lib. III. Epigr. 53. ad Gallam:*

*Cum dare non poſſim, quod poſcis, Galla, rogan tem:*

*Mul to ſimplicius, Galla, negare potes.*

Explicationem ſane admittunt haec: sed magis verius est, Martialem ſcripſiſſe, vt eſt in Regio, deprehendit que in quarto ſuo Gruterus,

*Cum dare non poſſim, quod poſcis, Galla: rogan ti*

*Mul to ſimplicius, Galla, negare potes.*

Sensus eſt: Cum tu, ultra quam poſſim, praeflare poſcas vices; malim, ſimpliciter neges noctem rogan ti, quam cogas impotentem fateri. Ac pari modo placet, quod eſt in vetere *L. IV. Epigr. 82.*

*Epi-*

*Epigramma nostrum cum Fabulla legisset,  
Negare nullam quo queror puellarum:  
Semel rogata bisque terque neglexit  
Preces. Amanti iam, Fabulla, promitte.  
Negare iussi, pernegare non iussi.*

Nunc editur, neglexit Preces amantis. Epigr. 85.

Lib. III. ad Maritum:

*Quis tibi persuasit nares abscondere moecho?  
Non hac peccatum est parte, marite, tibi.  
Stulte, quid egisti? Nihil hic tua perdidit vxor,  
Cum sit salua sui mentula Deiphobi.*

*Sui Deiphobi, se in quarto reperiisse Gruterus profiteatur: at in Palatino, tui; idque ferri posse, si iste vel libertus sit, vel amicus. Ego nulla controuersia scribendum etiam cum Regio,*

*Cum sit salua tui mentula Deiphobi.*

Id est, quem tu nares abscondendo fecisti Deiphobum: sic enim moechum hunc videtur appellare Poeta, alludens ad illud Virgilii VI. Aeneid. v. 495. seqq.

*Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora,  
Ora, manusque ambas, populataque tempora raptis  
Auribus, et truncas inhonesto vulnere nares.*

Lib. IV. Epigr. 84. in Naeuolum:

*Securo nihil est te, Naeuole, peius: eodem  
Solicito nihil est, Naeuole, te melius.  
Securus nullum resalutas, despicias omnes;  
Nec quisquam liber, nec tibi gratus homo est.  
Solicitus donas, dominum, regemque salutas,  
Inuitas. Esto, Naeuole, solitus.*

86 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

*Nec tibi natus*, ait legendum Gruterus versu quarto ex vetustissimo Palatino suo, laudante etiam Th. Farnabio. Nec defuturos arbitror, quibus et hoc placeat ob locum Ciceronis in *Verrem Lib. I. Cap. 47*. *Superbia vero qua fuerit*, quis ignorat? quemadmodum *is tenuissimum quemque contemserit*, *despexerit*, *liberum numquam duxerit?* Ego ut temere nihil affirmem, inducor tamen auctoritate eximii illius Berolinensis Codicis, cui consentit et totidem literis Bodleianus Farnabii, ut scribendum potius existimem et scripsisse Martialem,

*Nec quisquam visus, nec tibi notus homo est.*

Et vero scribit ipse Gruterus fuisse, *notus*, in Britannico Iunii et quarto suo. Prudeenter quidem Ouidius *L. II. Art. Amand. v. 253. et seq.*

*Nomine quemque suo (nulla est iactura) saluta;*

*Iunge tuis humiles, ambitiose, manus.*

Et Augustus, referente Suetonio *Cap. 53. die senatus numquam patres, nisi in curia, salutauit et quidem sedentes, ac nominatim singulos, nullo submonente: etiam discedens eo modo sedentibus valere dicebat.* Sic legendus iste locus de exemplari nostro Regio. Contra vero Q. Cicero *de Petit. Consulat. Cap. 7.* id vitio vertit Antonio, quod nescierit homines adiungere atque invitare ad amicitiam, *quos per se suo nomine appellare non potuerit; cum stultius nihil sit, quam eximare, eum studiosum fore tui, quem non noris.* Ceterum vocabula haec, *natus* et *notus*, saepe confuderunt librarii; ut apud Horatium *Lib. I. Epist. 7. v. 56.* ubi Bentleius adeundus; et apud Ouidium *Re-*  
*med.*

med. Amor. v. 220. vbi probo, *dannis Allia nota suis;*  
 et apud Ciceronem denique *Offic. Lib. I. Cap. 31.* vbi  
 recte ex duobus vetustis cufis Lipsiensibus, *sermoni eo*  
*debemus uti, qui natus est nobis,* reduxit Iac. Frid.  
 Heusingerus. De A. Sabini autem loco vt id obiter  
 addam, in cuius *Epist. II. v. 4.* eiusdem erroris  
 exemplum reperisse sibi visus est hic idem Vir doctissi-  
 mus, ego totum potius ita conceptum fuisse crediderim:

*Phyllidi Demophoon patria hanc dimittit ab urbe:*

*Et patriam meminit muneric esse tui.*

*Nec face Demophoon alia, nec coniuge captus,*

*Sed tam non felix, quam tibi votus erat.*

*Epiogr. 88. de Bassa:*

*Infantem semper secum tua Bassa, Fabulle,*

*Collocat, et lusus, deliciasque vocat.*

*Et quod mireris magis, infantaria non est.*

*Ergo quid in causa est? Pedere Bassa solet.*

Vetus noster disertim, et lusus deliciasque facit: et sic  
 planissime sententia desiderat. Contrario errore peccat  
 apud Pedonem *Epicedio in Drusum v. 147.*

*Iamine meus non est, nec me facit ille parentem?*  
 cum, vt bene iam vidit Burmannus, *vocat*, ibi sit le-  
 gendum. Et apud Ouidium, vbi nunc est *Lib. III.*  
*Amor. Eleg. 4. v. 25.*

*Quicquid seruatur, cupimus magis: ipsaque furem*  
*Cura vocat;*

in plurimis quidem scriptis editisque olim libris legi  
 scribit Burmannus, *ipsaque furem Praeda vocat:* sed  
 mihi magis placet lectio exemplarium a Nigro annota-

88 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

ta, *Cura facit*. Haud paulo enim elegantius, si quid video, ipsa seruandi diligentia facere dicitur furem, quam prouocare. Pergo vterius in Martiale *Lib. V.* *Epigr. 46.* in *Bassam*:

*Dicis formosam, dicis te, Bassa, puellam.*

*Istud quod non est, dicere Bassa solet.*

Ego, cum ex *Regio*, *dicere saepe solet*, annotarit *Besselius*, putem a *Martialis* manu fuisse,

*Istud, quae non est, dicere saepe solet.*

ut voluerit *Poëta*, illam saepe se iactare pro *formosa*, pro *puella*, quae nec *formosa* sit, nec *puella*. *Epigr. 49.* de *Encolpo*:

*Quid non cogit amor? Secuit nolente capillos*

*Encolpus domino, nec prohibente tamen.*

*Permitit, fleuitque Pudens: sic cessit habenis*  
*Audaci questus de Phaethonte pater.*

*Talis raptus Hylas, talis deprensus Achilles*  
*Deposuit gaudens, matre dolente, comas.*

*Sed tu nec propora, breuibus nec crede capillis,*  
*Tardaque pro tanto munere, barba, veni.*

*Sic omnes excusi huc usque, qui mihi quidem in promtu;* nisi quod margo *Iunii* ex libro *Anglicano*, *ne propora*, et *ne crede*. Scribendum autem cum membranis *Berolinensisibus*,

*Sed tu ne propora, breuibus nec crede capillis.*

Noli properare, barba, inquit, nec breuibus crede capillis, quos alioqui grandiores habent, et exoleti; sed tarda veni pro tanto munere, quo prosecutus es voti damnatus puer *Pudentem*, cum is creatus esset primipilaris.

pilaris. Similiter apud Lucanum puto legendum *Lib.*  
*I. v. 92. seqq.*

*Nulla fides regni sociis, omnisque potestas  
 Impatens consortis erit. Ne gentibus ullis  
 Credite; nec longe factorum exempla petantur:  
 Fraterno primi maduerunt sanguine muri.*

Perperam nunc circumfertur, nec gentibus ullis, et factorum. Sed placuit quoque, ne, pro nec Franc. Guieto; et illud, nec gentibus ullis, ex *v. 82.* videtur repetitum *Epigr. 51.* in Charopinum:

*Ceno domi quoties, nisi te, Charopine, vocaui,  
 Protinus ingentes sunt inimicitiae;  
 Meque petis striido medium transfigere ferro,  
 Si nostrum sine te scis caluisse focum.  
 Nec semel ergo mihi fartum fecisse licebit?  
 Improbius nihil est hac, Charopine, gula.  
 Define iam nostram, precor, obseruare culinam,  
 Atque aliquando meus det tibi verba coquus.*

Placet magis versu primo, quod erat in *Regio*, nec te, Charopine, vocaui. At versu postremo habet mendoza, utque, et iocus, pro coquus. Verum est autem haud dubie, quod ex Anglicano Codice margo ostentat Iunii,

*Atque aliquando meus det tibi verba focus.*

Id est decipiat, fallat te meus focus. Error natus, quia cocus, pro coquus, veteres librarii scribebant: cuius scribendi moris meminit Donatus ad *Ter. Adelph.*  
*A. III. Sc. 4. v. 60.* *Epigr. 58.* ad Cinnam:

90 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

*Cum voco te dominum, nolo tibi, Cinna, placere:  
Saepe etiam seruum sic resaluto meum.*

In Regio erat, teste Besselio, *nol. t. Cinna*. Recte vero restituendum censebat ipse Besselius, *noli tibi, Cinna, placere*. Id est, *noli te efferre*, ut interpretatur, qui sic etiam scriptum habuit, Domitius Calde rinus: idque erat et in Iuniano, monetque extare in quarto suo, et *nihilo minus rotunde*, ut ait, Gruterus. Versu secundo Regius noster mendose, *serum sic resaluto tuum*. Scribendum autem, quod exigit, meo quidem animo, Auctoris mens, et argutia carminis,

*Saepe etiam seruum sic resaluto tuum.*

Neque enim adsentior Calderino, qui hoc modo interpretatur vulgatam scripturam: *Non appello te dominum, quod eo nomine sis dignus, sed ut impetrem aliquid; quod etiam facio in meo seruo, cum volo aliquid ab eo blandiendo impetrare*. Sed apprime luc faciunt, suntque firmandae correctioni illa Senecae initio Epist. 3. Epistolas ad me perferendas tradidisti, ut scribis, amico tuo. Deinde admones me, ne omnia cum eo ad te pertinentia communicem; quia nec soleas ipse hoc facere. Ita eadem epistola et dixisti amicum, et negasti. Itaque priore illo verbo quasi publico usus es, et sic illum amicum vocasti, quomodo omnes candidatos bonos viros dicimus; quomodo obnios, si nomen non succurrit, dominos salutamus. Epigr. 59. ad Postumum:

*Cras te vieturum, eras dicis, Postume, semper.  
Dic mihi, eras istud, Postume, quando venit?  
Quam*

*Quam longe cras istud? ubi est? aut unde petendum?*

*Num quid apud Parthos, Armeniosque latet?*

*Iam cras istud habet Priami, vel Nestoris annos.*

*Cras istud quanti, dic mihi, possit emi?*

*Cras vives? Hodie iam vivere, Postume, serum est.*

*Ille sapit, quisquis, Postume, vixit heri.*

Inepita versu tertio, si quid video, est lectio, qua de verbis, qua de sensu. At quis dubium habebit, quin scriperit Martialis, ut in vetere est nostro,

*Quam tibi cras istud longe est, aut unde petendum?*

Idem vero error, *vbi pro tibi*, si Regio fidem habere volumus, insedit etiam *Epigr. 59. Lib. III.* cuius lemma hoc habet, *Bononia et Mutina:*

*Sutor cerdo dedit tibi, culta Bononia, munus.*

*Fullo dedit Mutinae. Nunc vbi caupo dabit?*

Habet enim absque interrogatione, *Nunc tibi caupo dabit.* Sed hic rectius, opinor, seruabitur illud, *vbi*, legeturque interrogando, *Nunc vbi, caopo, dabis?* Sic enim, *Nunc vbi caupo dabis?* est in Iuniana, et erat quoque in editione Iosephi Langii Argentoratensi anni 1595. teste Besselio, qui ad eam contulit librum suum Berolinensem. Contra in *Epigr. 49.* eiusdem tertii libri, quod est ad Inuitatorem, *vbi* vetustiores quidam, cusi habent, *tibi Massica potas*, et recentius vulgati, *tu Massica potas*, quod manauit a Matth. Raderi conjectura, mihi videtur melior esse scripta lectio nostri et Gruterianorum Codicum,

*Veientana mihi misces, vbi Massica potas:*

*Olfacere haec malo pocula, quam libere.*

Qui

92 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

Qui inuitauerat, miscebat conuiuis Veientana, et ipse potabat Massica vina. Se igitur, Poëta ait, pocula haec malle immensa inuitatoris olfacere, quam bibere.

*Epigr. 67. Lib. V. in Pontilianum:*

*Saepe salutatus, numquam prior ipse salutas:  
Sic erit aeternum, Pontiliane, vale.*

Ita libri impressi, quod sciam, omnes; nec vidi quemquam, qui suspicionem mouerit de mendo. Optime tamen Regius,

*Sic eris aeternum, Pontiliane, vale.*

Homini namque disticho hoc eludens agrestem et inurbanum Poëta, *Tu eris, inquit, et vocaberis Vale aeternum;* quia neminem salutas prior, saepe salutatus ab aliis, sed recedens vale tantum dicis amicis. Nec puto respexisse ad Euandri in Pallantem dictum apud Virgilium *Lib. XI. Aen. v. 97.*

— *Salve aeternum mihi, maxime Palla,  
Aeternumque vale.*

Id quod putabat Calderinus, quem et ipsum, *eris*, inveneris credibile est suis in libris, male locum interpretatus, mea quidem sententia, hoc modo: *Vale est verbum salutantis in discessu, et Pontificale est verbum, quo in mortuos utebantur.* Id Euander in Pallantem usurpauit apud Virgilium. *Ancipiti igitur verbo iocatur Poëta, et quasi videatur recusare se salutatum amplius Politianum, ait, tu eris vale aeternum; cum tamen intelligat, tu mihi eris mortuus: nam vale aeternum dicebatur in mortuos, Lib. VI. Epigr. 3. de Domitiani filio:*

*Nasce-*

*Nascere, Dardanio promissum nomen Iulo,  
 Vera Deum soboles: nascere, magne puer.  
 Cui pater aeternas post secula tradat habendas:  
 Quique regas orbem cum seniore synex.  
 Ipsa tibi nubo trahet aurea pollice fila,  
 Et totam Phryxi Iulia nebit ouem.*

Nubo pollice longaeuitatem figurari vult Farnabius.  
 Ego mallem interpretari candidum ac nitentem, vt et  
 Ouidius marmoreum tribuit puellae pollicem *L. XIII.*  
*Metam.* v. 746. et Propertius *L. II. El. i. v. 9.* digitos  
 eburnos. Et e contra Claudianus *Epith. Honor.* v. 19.

— *Et, mox quos horruit Ide,  
 Theffalicos roseo nelebat pollice crines.*

Sic enim malo cum olim vulgatis, quod Propertio *lapsos*  
*formare capillos Lib. I. El. 3. v. 23. et L. III. El. 8.*  
*v. 14. presso pollice fingere comos, quam petebat, uti*  
 post Heinsum edidit etiam Gesnerus. Et idem Clau-  
 dianus *Epith. Pallad.* v. 25. seqq.

— *Peruenit ad aures  
 Vox incunda Deae, strepituque excita resedit,  
 Et reliquum nitido detergit pollice somnum.*

Sed sensus hic certe sit melior, cum Berolinensi, *inuito*  
*pollice, si rescribas pro niveo.* Ipsa tibi Iulia, inquit,  
 Titi filia, Domitiani neptis, cui partes dabunt suas Par-  
 cae, pro amore suo inuito pollice, quia secare *etiam*  
 debet, nebit felicia vitae flamina. Nec lusisse fere  
 dubitem in ambigua voce Poëtam, cum et accipi pos-  
 set pro inimico pollice; quia, vt resert Suetonius in  
*Vita Domit.* Cap. 22. nepti suae impensius amatae pa-  
 trius

94 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

truus ipse, frequentibus abortiis datis, causa extiterat mortis. *Epigr. 16. ad Priapum:*

*Tu qui pene viros terres, et falce cinaedos,*

*Iugera sepositi pauca tuere loci.*

*Sed tua non intrent vetuli pomoeria fures;*

*Sed puer, aut longis pulcra puella comis.*

*Emendo ex vetere nostro,*

*Sic tua non intrent vetuli pomoeria fures;*

*Sed puer, et longis pulcra puella comis.*

*Sic tua*, invenit etiam in scriptis et vetustioribus editis, reponendumque censebat in locum illius, *Sed tua*, quod Iuniana inuexit, Gruterus. Et videtur in animo habuisse Noster, cum haec scriberet, illud Tibulli *L. II.*  
*El. 5. extr.*

*Annu: sic tibi sunt intonſi, Phoebe, capilli:*

*Sic tua perpetuo ſit tibi caſta foror.*

Quem locum aemulatus quoque est *Lib. IV. Epigr. 45.*  
ad Phoebum:

*Haec tibi pro nato plena dat laetus acerra,*

*Phoebe, Palatinus munera Parthenius.*

*Vt qui prima nouo signat quinquennia luſtro,*

*Implect innumeras Burrus Olympiadias.*

*Fac rata vota patris: ſic te tua diligat arbor,*

*Gaudet et certa virginitate foror.*

*Perpetuo ſic flore mices: ſic denique non ſint*

*Tam longae Bromio, quam tibi, Phoebe, comae.*

Ibi in Regio etiam est nostro, vt in Palatino veterissimo  
Gruteri, eoque MS. quo vſus olim Modius Nouanti-  
quar.

*quar. Lection. Epist. 75.* et idem in membranis N.  
Heinsio inspectis ad Ouid. II. ex P. El. 2. v. 82. et  
*Met. IV. v. 387.* *tua arbor,* laurus scilicet, in quam  
Daphne puella fuit conuersa; non *vxor*, quod pluri-  
que libri retinent. Videlurque respexisse Martialis ad  
illud Apollinis apud Ouidium *L. I. Metam. v. 557.*

— *Coniux quoniā mea non potes esse,  
Arbor eris certe mea.*

At, si quid ego video, a Poetac manu est, *Fac rata  
vota patris*, nec Heinsio auscultandum corrigenti, *Fer-  
rata vota patri;* quamuis, quod in membranis repe-  
rerat Heinsius, *Fer rata vota patris*, habuerit quoque  
a manu prima, indice Besselio, Regius, idque ineptus  
censor cum non intelligeret, *Ferrea exculpferit atque  
correxerit.* Aut vero pro et (vt obiter id addamus)  
est etiam in *Epigr. 71. Lib. VII.* vbi scribendum  
omnino fide veteris nostri,

*Gratus sic tibi, Paule, sit December:  
Nec vani triples, brutesque mappae,  
Nec turis veniant leues felibrae;  
Sed lances ferat, et scyphos avorum,  
Aut grandis reus, aut potens amicus.*

Nam minus recte hodie editur, *aut scyphos auorum.*  
Sic quoque (vt in transitu et ea de re Lectores admo-  
neam) censeo emendandum *Lib. X. Epigr. 87. v. 15.*

*Mirator veterum senex scyphorum,  
Donet Phidiaci toteuma coeli.*

Nam cui isti, quod iam I. F. Gronouius vidit, qui scri-  
bendum suspicabatur, *laborum*, nihil hic faciunt.  
*Lib. VIII. Epigr. 34.* in Iactatorem:

*Archē-*

96 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

*Archetypum Myos argentum te dicis habere:  
Quod sine te factum est, hoc magis archetypum est.*

Rectius Berolinensis, *hoc magis archetypum*, excluso posteriore, *est*, quod ingrathe proxime repetitur. Et in fine itidem carminis optime, ut equidein existimo, eamdem voculam omittit *Lib. XII. Epigr. 2.*

*Quat modo litoreos ibatis carmina Pyrgos,  
Ite Sacra, iam non puluerulenta, via.*

Hactenus editum,

*Ite sacra; iam non puluerulenta via est.*

De Via Sacra, in qua, Varrone auctore *Lib. I. Cap. 2. de R. R. venalia* prostabant Romae pomaria et fruges, vide quae notarunt doctissimi viri, P. Burmannus major *ad Ouid. Art. Amand. L. II. v. 266.* et P. Secundus Burmannus *ad Propert. L. II. El. 18. v. 6.* Similiter autem corruptus etiam apud Ouidium locus est, eadem inculcata a librariis voce, quos rhythmus, puto, in pentametro offendebat, initio *Epiſt. VIII. Heroid.* ubi verba illa Hermiones sic videntur constituta:

*Pyrrhus Achillides, animosus imagine patris,  
Inclusam contra iusque piumque tenet.  
Quam potui, renui; ne non inuita tenerer:  
Cetera feminineae non valuerent manus.  
Quid facis, Aeacida? non sum sine vindice, dixi:  
Haec tibi sub domino, Pyrrhe, puella suo.*

Vulgo illic legitur *suo est.* At verbum substantiuum, quod testatur doctissimus Iac. Fr. Heusinger in Gotth.

Ephr.

Ephr. Lessingii *Beyträgen zur Gesch. und Litterat.*  
aus den Schätzen der Bibliothek zu Wolfenb. Tom.  
*III.* p.37. in Guelpherbytano primo ac tertio non com-  
paret, transponitque quartus, *sub domino est.* Scripsi  
quoque, *Quam potui, id est, quantum potui, quod*  
habebat, teste Heinsio, Mentelianus liber pro varia le-  
ctione, vbi editur, *Quod potui.* Et sic obiter corri-  
gendum dico vexatissimum eiusdem Poëtae locum, cui  
itidem corrumpendo fuerit sonus ille in inciso et extre-  
mo aequalis, auribus, vt videbatur, insuavis, *Epift.*  
*IV. v. 20. et seqq.*

*Venit amor granus, quo serius. Vrimur intus,*  
*Vrimur; et caecum peccora vulnus habent.*  
*Scilicet ut teneros laedunt inga iuuenos,*  
*Frenaque vix patitur de grege captus equus:*  
*Sic male vixque subit primo rude peccus amori;*  
*Sarcinaque haec animo non sedet apta meo.*  
*Ars fit, ut a teneris crimen cum discitur annis:*  
*Quae venit exacto tempore, peius amo.*

Id est, si qua venit exacto tempore. Ut apud Liuum  
*L. III. Cap. 19.* Aulus ille Virginius, quia in Ca-  
pitolio non fuit, minus supplicii, quam Ap. Herdo-  
nius, meruit? Plus hercule aliquanto, qui vere rem  
aestimare velit. Vulgo editur, *peius amat.* Et me-  
mini olim placere, *Quis venit e. t. peius amant.* Si-  
mile est illud *Epift. VII. v. 30.*

*Sed queror infidum, questaque peius amo.*

In carmine autem Nostri, quod supra priore loco emen-  
dauimus, (vt eo reuertar, vnde sum egressus) illud,  
*Quod sine te factum est, a Nic. Heinsio ad Petron.*

Koehl. Interpr. *L. II.*

G

Cap.

## 98 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

*Cap. 52.* qui, Quid si a te factum est? hoc magis archetypum esse, coniicit scribendum, cum, quod proferant libri editi, nullum, ipso iudice, prae se ferat acumen, equidem nolle mutatum. Argutia enim iocusque Epigrammatis, quod monuerat iam Adr. Turnebus *Aduersar. L. XXI.* *Cap. 15.* latere videntur in vocabulo *factum est*. Dicis te, inquit, habere toremata argentea operis antiqui; sed verbosa ostentatione argenti tui multum detrahis pretio, efficisque, ut vasa tua conuiuis molestiae taedioque sint; adeo ut argentum factum, id est vasa, si sine te sit, et si absit, magis sit archetypum, id est pluris censeatur, antiquiusque videatur. Ceterum admonet hic me Marcialis locus Ciceronianus illius, in quo sincera mihi semper visa vetus lectio, in *Verrem III. Cap. 4.* Quid? hoc cuiquam ferendum putas esse, nos ita viuere in pecunia tenui, ut prorsus nihil acquirere velimus: ut dignitatem vestram, populique Romani beneficia non copiis, sed virtute tueamur? istam, rebus omnibus undique erexit, impune eludentem circumfluere, atque abundare? huius argento domus vestras, huius signis et tabulis forum, comitiumque ornari? praesertim cum vos vestro Marte his rebus omnibus abundetis? *Verrem esse*, qui vestras villas suis manibus ornet? *Verrem esse*, qui cum *L. Mummo* certet; ut plures hic sociorum urbes, quam ille hostium, spoliasse videatur? plures hic solus villas ornamenti fanorum, quam ille fana spoliis hostium, ornasse? Et is erit ob eam rem vobis carior, ut ceteri libenius suo periculo vestris cupiditatibus seruant? Ibi quod est a Graterno, dominia vestra, pro domus vestras, nec inuentum ab

ab eo opinor in membranis, sed sumtum forte a Cu-  
iacio, qui sic legi ait in manu exaratis *Lib. XI. Ob-*  
*seru. Cap. 12.* aut ex Nonio in *Dominus*, qui reperisse  
quidem videtur in libris suis, *dominia*, quamvis cor-  
rupte verba laudentur, id post Gesnerum *Thef. L. L.*  
in v. *Dominium etiam τῷ πάντῳ Ernesto* in nouissima  
Ciceronis editione probari, cum iam recte reuocasset  
Graeuius veterem lectionem, euidem demiror. *Do-*  
*mus vestras*, inquit doctor quondam noster in *Claui*  
*Cicer. p. 489. non potest esse a Cicerone*, quod nullum  
exemplum poterit affterri, quo argento domus ornari  
dicatur. *Signa in domorum ornatu commemorari*  
memini, argentum non item. Nam et ita Lucretius  
*Lib. II. v. 27.*

*Nec domus argento fulget, auroque renidet.*

Et Horatius *Lib. IV. Carm. II. v. 6.*

*Ridet argento domus.*

Itemque Seneca de *Tranqu. Cap. 1. Placet minister*  
*incultus et rudis vernula, argentum graue rustici pa-*  
*tris, sine ullo opere et nomine artificis, et mensa non*  
*varietate macularum conspicua, nec per multas elegan-*  
*tiam dominorum successiones ciuitati nota, sed in usum*  
*posita, que nullius coniuiae oculos nec voluptate mo-*  
*retur, nec accendat inuidia. Et ipse denique Epi-*  
*grammatographus noster Lib. VIII. Epigr. 6.*

*Archetypis vetuli nihil est odiosius Eucti.*

*Fista Saguntino cymbia nalo luto.*

*Argenti furiosa sui cum stemmata narrat*  
*Garrulus, et verbis mucida vina facit.*

100 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

Quo loco sese valde mihi probant Lipsii *Epistolicar.*  
*Quaest. Lib. I. Epist. 5.* fumosa stemmata; quamvis nihil hic variet MS. Regius, nec alii hanc differen-  
tiam repererint in suis. Sic enim, praeter Ciceronem  
et Iuuenalem a Lipsio iam annotatos, etiam Pruden-  
tius, qui respexit forte ad Martialem, *Hymno XII.*  
*Cathem. v. 193. seqq.*

*Quin et propago degener,  
Ritum secuta inconditum,  
Quaecumque dirum feruidis  
Baha caminis coxerant,  
Fumosa auorum numina,  
Saxum, metallum, stipeitem,  
Rasum, dolatum, sectile,  
In Christi honorem deserit.*

Ita legendus, nec sine libris, me iudice, iste locus  
Vulgo editur, coixerat, et sectilem. Pergamus in Mar-  
tiale ad *Epig. 39. Lib. IX.* quod est ad Agathinum:

*Summa licet velox, Agathine, pericula ludas;  
Non tamen efficies, ut tibi parma cadat.  
Nolentem sequitur, tenuesque reuersa per auras  
Vel pede, vel tergo, clune, vel vngue sedet.  
Labrica Corycio quamuis sint pulpita nimbo,  
Et rapiant celeres vela negata noti:  
Securos pueri neglecta perambulat artus,  
Et nocet artifici ventus, et vnda nihil.  
Ut peccare velis, cum feceris annia, falli  
Non potes: arte opus est, ut tibi parma cadat.*

Initio carminis, laudas, pro ludas, est in Regio nostro,  
et e tribus Guelpherbytanis, pericula laudes, corrigere  
iubet

IVR. ROM. LIB. II. CAP. IX. 101

iubet G. E. Lessingius *Scriptor. Miscellan. Tom. I. p. 274.* vertens: *Rühne dich nur, gewandter Agathon, wie viel Gefahrniß bey deiner Kunst sey! Es steht ja doch nicht in deiner Macht, das Schild fallen zu lassen; es verfolgt dich wider Willen.* Verum haec scribentis Viri perspicacissimi oculis nebulas obhaefisse manifestum est, cum nihil sit ista Guelpherbytanorum Codicum lectione hoc loco alienius, et proba omnino lectio vulgata, quam bene explicat Domitius Calderinus hoc modo: *Ludas summa pericula, constrūctio Graeca est, qui dant accusatiuum his verbis: id est, ludas in summo discrimine, et tente difficultima quaeque.* Et in Propertio similem notauimus errorem Lib. III. Eleg. 12. initio:

*Multa tuae, Sparte, miramur iura palaestrae,  
Sed mage virginei tot bona gymnaſii;  
Quod non infames exercet corpore ludos  
Inter luctantes nudu puella viros.*

Illud enim, *ludos*, vt recte hodie legitur, pro *lades*, debemus pulcrae Io. Aurati emendationi, prodente id Guil. Cantero Nouar. *Leff. Lib. II. Cap. 14.* nec sequar Th. Dempsterum de *Etrur. Regali Lib. III. Cap. 74. p. 421.* luctae intelligentem infames laudes. Rectum autem videtur, quod versu Epigrammatis quarto praesert liber Regius, et item Modianus, Palatinusque Gruteri, *crine*, pro *clune*. Confirmat enim et hoc Domitius, *Agathinum*, inquiens, *laudat, qui parvam ita in theatro iactabat, ut nusquam caderet, sed modo crinibus exciperetur, modo pede.* *Lib. XI. Epigr. 43.* quod est ad Vxorem, v. 9. et seq. (taedet

G 3 enim

102 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

enim integrum eum locum describere) haec tenus in editis omnibus ita legitur:

*Briseis multum quamvis auersa iaceret,  
Aeacidae propior laevis amicus erat.*

Sed ubi, vultum quamvis auersa, pro multum quamvis auersa, malebat cum uno Vossiano Codice P. Burmannus ad Ouid. A. A. Lib. III. v. 786. ego ex Berolinensi meo repono,

*Briseis vultu quamvis aduersa iaceret.*

Quae vera procul dubio, et elegantissima lectio. Et quod τῷ vultu aduersam iacere contrarium, dorsum dare calenti, legitur in veteri Epigrammate Anthol. Lat. Tom. I. p. 631. quod hic adscribam totum, ut scribendum esse censeo, mendis nunc quidem varie, meo animo, deformatum:

*Moribus et vultu mulier quaeratur amanda,  
Horrida nec facies multo celatur ab auro.  
Si quis erit sponsus, talem qui ducat avarus,  
Ipse suam horrebit; feritas dissoluet anorem.  
Illa calens veniet, dorsum dabit iste calenti;  
Cogeturque suo clunem summittere asello,  
Concubitu turpi monstrum paritura biforme,  
Quemque suum mater timeat pertingere natum.  
Discite formosas aurum superare puellas.*

Vulgo nullo sensu legitur,

*Moribus et vultu mulier quaeratur habenda.  
Horrida nam facies multo celatur ab auro.*

Amandus vero et habendus vbique sere permuntantur in MSS. Vide, si tanti est, Burinanno notata ad Ouid.

*Epist.*

*Epist. XX. v. 228.* et *Amor. III. El. 12. v. 6.* aliisque,  
quae ex Indice petere est, locis. At frustra hic P.  
Burmannus Minor contra fidem codicum tentabat le-  
gere, *Moribus et cultu.* De Medea apud Ouidium  
*Hypsipyle Epist. VI. v. 83.*

*Nec facie, meritisque placet; sed carmina nouit.*

Quomodo scribendus procul dubio iste locus e scriptis  
partim Nic. Heinsii, partim Iac. Fr. Heusingeri in Lef-  
singii *Beytr. zur Gesch. und Litterat. III. p. 28.* vbi  
edidit Burmannus, *meritisque,* et *carmine nouit.* Fir-  
matur enim loco simili *L. I. Amor. Eleg. 8. v. 5.*

*Illa magas artes, Aeaeaque carmina nouit.*

Et apud Propertium optat Tarpeia *Lib. IV. El. 4. v.*

*49. seq.*

*O utinam magiae nostrae cantamina Musae;*

*Hac quoque formoso lingua tulisset opem.*

Quem locum sanissimum profecto miror inepta conie-  
culta tentari a P. Burmanno Secundo. Apud Ouidium  
autem eadem mox Hypsipyle *v. 94.*

— *Male quaeritur herbis,*

*Moribus et vultu conciliandus amor.*

Et Naso ipse eleganter de Ornatu Faciei *v. 43 seqq.*

*Prima sit in vobis morum tutela, puellae:*

*Ingenio facies conciliante placent.*

*Cerius amor morum est: formam populabitur aetas,*

*Et placitus rugis vultus aratus erit.*

Et sic apud Phaedrum quoque *Lib. III. Fab. 8.* pater,  
qui habebat filiam turpissimam, idemque insigni ac pul-

cra

104 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

cra facie filium, amplexus vtrumque, et carpens oscula,

*Quotidie, inquit, speculo vos uti volo,*

*Tu formam ne corrumpas nequitiae malis:*

*Tu formam ut istam moribus vincas bonis.*

Quem puto respexisse ad Titinnianum illud apud Nonium in *Tandem*,

*Sin forma odio sum, tandem ut moribus placeam viro.*

Vti vere emendauit corruptum vulgo, *Symphonia odiosum tandem*, Lipsius *Antiquar. L. I. Cap. 2.* Malui vero et post paulo in *Epigrammate cum libro Salmatis, clunem, non furas, summittere asello;* vt apud Iuuenalem *Sat. VI. v. 335.*

— *Mora nulla per ipsam,*

*Quo minus imposito clunem summittat asello.*

Denique versu penultimo reposui, *Quemque suum mater timeat pertingere natum, vt ediderat iam Binetus, pro mulier t. p. n.* Cogitabat enim illa Lucani *Lib. I. v. 562. seq.*

*Monstrosoque hominum partus numeroque modoque  
Membrorum; matremque suis conterravit infans.*

Claudianus *L. I. in Eutrop. v. 1. metuenda pignora matri vocat.* Voces autem illas, auersus et aduersus, (ad Martialem meum vt reuertar) turbari saepe in codicibus, multis docuerunt Drakenborchius *ad Sil. Italicum L. II. v. 618.* *L. VII. v. 595.* et *ad Liu. L. II. Cap. 31.* Heinsiusque et Burmannus *ad Ouid. Epist. VII. v. 4.* et *I. Amor. El. 9. v. ii.* itemque *II. Met.*

v. 476.

IVR. ROM. LIB. II. CAP. IX. 105

v. 476. et alibi. Sic recte praetulerunt Viri docti apud  
Tibullum *L. III. El. 3. v. 27. seqq.*

*At si pro dulci reditu quaecumque vouentur,  
Audiet auersa non meus aure Deus:  
Nec me regna iuuent, nec Lydius aurifer annis,  
Nec quas terrarum sustinet orbis opes.*

Vbi vide Broukhusium. Et sic legitur nunc, legen-  
dumue est apud Propertium *Lib. IV. Eleg. 1. v. 73.*  
*seqq.*

*Quo ruis imprudens vase dicere facta, Properti?  
Non tua sunt dextra condita fila colu.  
Auerfis Charifin cantas: auersus Apollo  
Poscitur inuita verba pigenda lyra.*

Ita enim consituendum censeo locum illum, in quo,  
*Auerfis Charifin cantas*, est emendatio N. Heinsii,  
cum vulgaretur antea inepta, aut nulla sententia, *Ac-*  
*terfis lacrymis cantus*. Parum autem placebat illud  
eiusdem Heinsii, *Non sunt ah dextra, voculas istius*  
*modi, ah, o, io, nimium saepe praeter rem inculcan-*  
*tis; licet et hoc vulgatum, a dextra, commutarit cum*  
*Broukhusio P. Burmannus Secundus: nec probo repo-*  
*situm, vaga facta*. Ouidio autem *Epift. XII. v. 63.*  
reddendum sine controversia, quod in multis exaratis  
inuenit Burmannus, et in quatuor Guelpherbytanis  
suis Heusinger, *Heusinger*,

*Disiectamque comas, aduersaque in ora iacentem  
Inuenit.*

Id enim est, cubantem in faciem, vel in ora lecto ad-  
versa; non, quod Burmannus ita explicat, ediditque

## 106 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

cum prius vulgatis, *aversa in ora*. Denique et apud Martialem scribendum *Lib. IX. Epigr. 67.*

*Vxor cum tibi sit formosa, pudica, puella:  
Quo tibi natorum iura, Fabulle, trium?  
Quod petis auerso supplex dominoque, deoque.  
Tu dabis ipse tibi, si potes arrigere.*

Vulgo legitur, *Quod petis a nostro*; pro quo reperit in Regio nostro Besselius, *Quod petis aduerso*, et a manu prima, *aduerso*; Burmannus autem in *Addend. ad Ouid. Tom. IV. p. 242.* sibi inuentum memorat in uno Vossiano, *auerso*, in altero, *aduerso*, quod ipse putabat verum. Apud Gratium autem *Cyneget. v. 147.* *segg.*

*In quinos sublata pedes hastilia plena  
Caede manu, dum pomiferis aduertitur annus  
Frondibus, et tepidos autumnus continet imbræ;  
non audio ill. Wernsdorfium, auertitur, suadentem,  
nec interpretantem Burmannum, dum cognoscitur,  
animaduertitur autumnus per frondes pomiferas. Sen-  
sus est: quando adducitur, et aduenit annus cum po-  
miferis frondibus. Pergamus adhuc bene mereri de  
Martiale. Lib. XI. Epigr. 79. ad Victorem sponsum,  
cui consulit, vt ante nuptias discat muliebrem palae-  
stram a perita meretrice:*

*Vtere feminis complexibus, utere, Victor,  
Ignotumque sibi mentula discat opus.  
Flammea texuntur sponsæ, iam virgo parata ejst:  
Tondebit pueros iam noua nupta tuos.  
Paeditare semel cupidus dabit illa marito,  
Dum metuit teli vulnera prima noni.*

Saepius

Saepius hoc fieri nutrix, materque veiabunt,  
 Et dicent, uxor, non puer, ista tibi est.  
 Heu quantos aestus, quantos patiere labores,  
 Si fuerit cunnus res peregrina tibi!  
 Ergo Suburanae tironem trade magistrae.  
 Illa virum faciet: non bene virgo docet.

Quod hic in vulgatis est versu tertio, id vitiose esse, si  
 quid video, conuincit ineptum illud, iam virgo parata  
 est: nec melius, quod edidit ex Palatino et quarto suo  
 Gruterus, iam virgo paratur. At indubitanter cor-  
 rigendum ex Regio,

*Flammea texuntur, spondae iam virgo paratur.*

Idque cum huic loco sit aptissimum, miror tamen ita  
 Besselio non arrisisse, vt adscriperit, enotata hac libri  
 sui lectione: *An, sponso? Sed non muto. Spondae*  
 vero verbum ex emendatione praecolla N. Heinssi *Ad-*  
*versar. Lib. I. Cap. 3.* vbi antea legebatur, *longa*, a  
 P. Burmanno Iuniore repositum, legitur nunc in Epi-  
 grammate venustissimo, quod adscribam integrum ex  
*Anthol. Lat. Tom. I. p. 639.*

*Sit nox illa diu nobis dilecta, Nealce,*  
*Quae te prima meo pectore composuit.*  
*Sit torus, et leffi genius, secretaque sponda,*  
*Quis tenera in nostrum veneris arbitrium.*  
*Ergo age duremus, quamuis adoleuerit aetas,*  
*Vtamurque annis, quos mora parua tenet.*  
*Fas et iura finunt veteres extendere amores:*  
*Fac, cito quod coeptum est, non cito desinere.*

Similem quoque librarii noto errorem ex Suetonii *Iulio*  
*Cap. 49.* vbi Dolabellam Caesarem, qui delicium Ni-  
 come-

comedis audiebat, *spondam interiorem regiae lecticae*  
dixisse scribit: ibi enim male liber Regius a Besselio col-  
latus, *sponsam*. Atque haec quidem sufficiente hoc lo-  
co ad facetissimum Epigrammistam, Martialem. Re-  
vertimur ad ICTos.

---

## C A P V T X.

*Alii Digestorum, et Codicis etiam quidam*  
*loci restituti, partim de coniectura, partim*  
*ope exemplarium et Basiliæ. Paulus emendatus*  
*in Sententiis. Laelantius exutus glossa. Sue-*  
*tonii de vetere libro locus castigatus.*

I. **V**erbis quibusdam omissis adeo depravata est  
quotidiani in foro usus L. 44. D. Mand. vt  
nullus verus sensus percipi queat: quam, cum opem  
hic libri non ferant, probabili saltem coniectura emen-  
dare licebit. Vlpiani haec sunt in Florentino exempla-  
ri verba: *Dolus est, si quis nolit perseguiri, quod per-*  
*sequi potest: aut si quis non exegerit, quod exigere,*  
*soluere.* Haloander, quo vitium incrustaret Tuscae  
membranæ manifestum, voculas solum adscripsit duas;  
*aut si quis non exegerit, quod exigere potest, aut*  
*soluere.* Vulgo excusis est, *aut si quis non exegerit,*  
*quod exigere potest: aut si quis nolit soluere, quod*  
*exegerit.* Basilica denique versio Tom. II. p. 155. A.  
sic habet: Δόλος ἐστὶ τὸ μὴ ποιησάντα τινὰ ὁ δύναται, οὐ  
τὸ μὴ δένει τὸ ἀπαιτηθέν. Et sane videntur Graeci  
codices habuisse non minus corruptos, quam Floren-  
tinus

tinus est liber, utque integra esset sententia, inseruisse  
 ἵντο μή, et τὸ απαιτηθέν. Neque diffiteor, culpam  
 depravati loci contulisse aliquando in Tribonianum,  
 quem breuitati opere in magno studentem, suspicabar,  
 vno verbo illo, *soluere*, addito, indicare voluisse, in eo  
 quoque dolum esse, si quis non soluat, quod possit  
 soluere. Contra ill. Püttmannus *Coniecturis ad loca*  
*quaed. Iur. deprau.* §. 4. *Sylloges eius Varior.* p. 74.  
 Vlpiano succurrentum putabat hoc pacto, ut, potuer-  
 rit reposito pro *soluere*, legeretur, aut si quis non  
 exegerit, quod exigere potuerit. Verum damnant  
 eam conjecturam Graeci Iuris conditores, quos inue-  
 nisse hoc loco verbum, *soluere*, manifestum est. Ex  
 quo neque Nic. Catharino possum assentiri, quod exi-  
 gere solet legenti *Obseruat. et Coniecturar.* Lib. III.  
 Cap. 1. Thes. Meermann. Tom. VI. nec Bynkershoe-  
 kio, quod exigere solüre, pro soliti fuerunt, reponen-  
 ti in *Annotatione ad h. l. et Obseru. Iur. Rom. Lib.*  
 VIII. Cap. 2. Mihi certum propemodum videtur, pe-  
 riisse versum fere vnum incuria librarii, eoque reducto, sic  
 scripserim: *Dolus est, si quis nolit persequi, quod per-*  
*sequi potest: aut si quis non exegerit, quod exigere pot-*  
*est: aut si quis nolit soluere, quod potest soluere.* Errori  
 enim etiam huic, vt saepe multis, anfam dedit iteratio  
 nominis, potest: firmatque plane suspicionem ordo, et  
 res ipsa. Nam et ecce hunc in modum Domitius §. 9.  
 L. 8. D. h. t. *Dolo autem facere videtur, qui id, quod*  
*poteſt restituere, non restituit.* Et L. 36. D. de *Pecul.*  
*Videtur autem dolo facere dominus, qui, cum habe-*  
*ret restituendi facultatem, non vult restituere.* Item  
 in L. 1. §. vlt. D. *Depos.* *Quia autem dolus dumtaxat*

in

110 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

*in hanc actionem venit: quae situm est, si heres rem apud testatorem depositam, vel commodatam distraxit, ignarus depositam, vel commodatam: an teneatur. Et quia dolo non fecit, non tenebitur de re. An tamen vel de pretio teneatur, quod ad eum peruenit? Et verius est, teneri eum. Hoc enim ipso dolo facit, quod id, quod ad se peruenit, non reddit.*

II. Ait Vlpianus *L. 14. §. 4. D. de Religios.* vt in omnibus, quae videre contigerit, exemplaribus conscripta extat: *Impensa peregre mortui, quae facta est, ut corpus perferretur, funeris est, licet nondum homo funeretur. Idemque, et si quid ad corpus custodiendum, vel etiam commendandum factum sit: vel si quid in marmor, vel vestem collocandam.* Et bene quidem funeris impensis peregre mortui annumerari id, quod ad corpus commendandum temporariae sepulturae erogatum erat, nec in his verbis emendatione opus esse ab aliis tentata, docuerunt Rad. Fornerius *Rer. Quotidianar. Lib. III. Cap. 6.* Th. Ottom. *Tom. III.* et S. H. van Idsinga *Varior. Iur. Ciu. Cap. 20.* Verum quid sit, *in vestem collocandam*, vereor, vt a quo quam commode possit explicari: neque id factum arbitror a Iac. Voorda *ad L. Falcid. Comment. Cap. 8.* aut a Io. Lud. Conrado *Tom. II. Opusculor. e Iur. Ciu. p. 9.* Sed nec Bynkershoekii sententiam sequimur *Osservat. Lib. VII. Cap. 25.* legentis, *in marmor, vel vestem collocandum:* hoc enim parum apte iungetur antecedentibus, *si quid ad corpus custodiendum, vel etiam commendandum factum sit.* Ego omnino a manu Vlpiani opinor fuisse, *vel si quid in marmor,* *vel*

*vel vestem collocatum*, hoc est impensum, erogatum sit. Marmori autem, id est sarcophago, etiam in L. 37. pr. D. eod. iunguntur vespes sepulcrales, si sequaris egregiam, me quidem iudice, emendationem Cuiacii Obseruat. Lib. V. Cap. 40. cum Graecis legentis, *vestiaria*, pro *vestitura*; non pro *vestigalia*, pro quo inibi habent id verbi Vulgatae et Norica. Quo loco (vt id obiter moneam) si quis inspicerit Goettingensem, quae Gebaueri nomen mentitur, editionem; egregie turbatum reperiet, nec quisquam intelliget adscriptam ex Brencmanno annotationem. Neque vero aliter in d. L. 14. legisse videntur Graeci Tom. VI. p. 802. C. cum verterent, καὶ τὰ περὶ τὴν Φυλακὴν τῆς σώματος, καὶ τὴν ἐμβούσιν, καὶ σορὸν, καὶ τὸ πα-  
γέθεδαι αὐτό. De genere autem mendae his, quae notauimus Spec. I. Verismil. Iur. Cap. 1. et quae praestantissimus Ruhnkenius attulit ad Vellei. Pateri. L. II. Cap. 29. hic addemus, recte etiam in L. 4. C. Ex quib. caus. infam. irrog. Cuiacium Comment. ad L. 1. C. de His qui in exil. pro relegatum, reponere nobis videri, relegandum, et pro damnandum, damnatum, approbante id etiam Hug. Donello Commentar. Iur. Ciu. L. XVIII. Cap. 8. et Schultingio Thes. Controversar. Dec. IX. §. 10. et ad Tit. D. de His qui not. infam. §. 9. p. 240. Et similiter peccatum fuit L. 23. pr. D. de Hered. petit. vbi legendum reor cum eruditissimo Franc. Car. Conrado in nota ad Hoffmanni Meletem. in Pandect. Diff. VI. §. 5. adscripta, quam habeo cum reliquis eius ad hunc librum annotationibus, vt et supra dixi, e codice Ill. Iugleri, *Et puto, sequen-  
dam clausulam senatusconsulti; nec mutata cum Hoff-  
manno*

manno voce, *computet*: non cum Florentino, sequentem clausulam senatusconsulti: nec cum Vulgatis Noricisque, sequentem clausulam senatusconsulti sequendam. Denique et in ipsis apud Suetonium *Aug. Cap. 96*. *Circa Perusiam sacrificio non litante, cum augeri hostis imperasset; tollo non absimilem mendam, legoque cum scriptis quibusdam Oudendorpii, sacrificio non litato; idque fide scidarum etiam Berolinensium, quarum ope, si quando eum edere liceret, per quam multis locis integrior adhuc fieri posset Tranquillus.* Verior autem omnino lectio est apud Suetonium, ut dixi, *sacrificio non litato*. Sic enim et Virgilii dixerat *L. IV. Aeneid. v. 50*.

*Tu modo posce Deos veniam, sacrisque litatis,  
Indulge hospitio.*

Quamvis noue hoc dictum, positumque pro *Diis litatis*, velit Seruius. Sed et ita Iustinus *Lib. XX. Cap. 2*. *Litatis hostiis, obtentoque, ut rebantur, quod petebant, hand secus laeti, quam si Deos ipsos secum aucturi essent, puluinaria eis in naui componunt.* Imo et Antias Valerius apud Gellium *Lib. I. Cap. 7*. *Si hae res diuinae factae, riteque perlitatiae essent, haruspices dixerunt omnia ex sententia processurum esse.*

III. Valde, meo quidem iudicio, corruptum est, quod ab eodem Vlpiano dictum traditur *L. 7. §. 1. D. de Iniur. illo loco: Quid ergo de lege Aquilia dicimus? Nam et ea actio principaliter hoc continet: hominem occisum non principaliter. Nam ibi principaliter de damno agitur; quod domino datum est: at in*

in actione iniuricrum de ipsa caede, vel veneno, ut vindicetur; non ut damnum sarcatur. Ita legitur nullo sensu hic Vlpiani locus, nisi quem inuito forte et multum reclamante ICto extorqueas, in Florentino Noricoque codicibus. Vulgo autem excusis est, quod Brenckmannus annotare neglexit, hominem autem occisum. Vnde colligo, verbis istis Vulgatiorum librorum in Florentinum exemplar immissis, totum locum sic emendandum esse, ut hoc modo legatur: *Quid ergo de lege Aquilia dicimus? nam et ea actio principaliter hoc continet, hominem occisum. Hominem autem occisum non principaliter: nam ibi principaliter de damno agitur, quod domino datum est: at in actione iniuriarum de ipsa caede, vel veneno, ut vindicetur; non ut damnum sarcatur.* Qua oppido eleganti lectione restituta, dum contrariis opponit ICtus contraria, non tolli accusationem ait Corneliae legis, si quis seruo occiso velit agere Aquilia: etenim dari quidem et Aquiliam de homine occiso, sed non principaliter de caede, verum ad damnum emendandum. Atque eamdem etiam secutus videtur lectionem Graecus in Basiliis Scholiares Tom. VII. p. 483. D. Τι ἐν τῷ ἀπομεν, inquiens, περὶ Ἀκείλας; καὶ γὰρ καὶ ἔτος (sed legendum ἔτος, scil. νέος) πρωτοτύπως τὴν τᾶς ἀνθεώπης ἀναγένεσιν περιέχει· ἀλλὰ ταῦτα πάντα εἰπὼν ὡς ἐν αὐτιθέσει λαϊκὸν ἐπιφέρει τὴν λύσιν, καὶ λέγει ὅτι ἐπὶ ἕτη πρωτοτύπως ἐπὶ τῇ Ἀκείλᾳ ἡ περὶ φόνῳ ἐναγωγὴ, ἀλλὰ περὶ μόνης τῆς συμβάσους τῷ δεσπότῃ ζημιας. Obiter addam, Tom. VII. p. 462. C. Basiliicum corrigendum esse hoc modo ex Latinis codicibus, & μὴ ὅτι τέλε, ἢ τόδε, ἀλλ' ὅτι τόδε ἐπέση. Ut haec sit verborum illorum sententia: *Qui agit, de-*

Koehl. Interpr. L. II.

H

bet

## 114. INTERPRETAT. ET EMENDAT.

bet specialiter dicere, quam iniuriam sit passus, neque se illud, aut illud, sed illud se passum. In Fabroti enim quod est editione, ε μὴν ὅτι τόδε, η τόδε, η τόδε ἐπέση, ipse quoque vertit, non se illud, vel illud, vel illud passum.

IV. L. 16. §. 8. D. de Poen, ait in Florentinis Pandectis Claudius Saturninus: *Euentus spectetur, ut a clementissimo quoque facta.* Quamquam lex non minus eum, qui occidendi hominis causa cum telo fuerit, quam eum, qui occiderit, puniat. Locus est in prioribus manifeste mendosus: et corruptius etiam est Vulgo culis, *Euentus spectetur, ut a dementissimo quoque facta;* ex facili quippe et saepe obuio literarum cl in d deflexu. Vide Drakenborchium ad Sili Lib. II. v. 52. et Bünnemannum ad Laetant. Lib. V. Instit. Cap. 10. §. 4. quem Firmiani locum, tentatum nuper etiam a Iac. Fr. Heusingero ad Cicer. Offic. L. II. C. 7. p. 423. vt in hoc transcurso emendem, cum in libris sit, *hac pietate dementius,* pro h. p. clementius, deletis istis, *hac pietate,* quae a Scholio esse suspicor, totum sic concipiendum esse censeo: *Ac ne quem videar inclementer incessere, aliquam mihi personam poetamic sumam, quae sit vel maximum pietatis exemplum.* Apud Maronem rex ille,

— quo iustior alter

*Nec pietate fuit, nec bello maior et armis,  
quae nobis documenta iustitiae protulit?*

*Vinxerat et post terga manus, quos mitteret umbris  
Inferias, caeso sparsurus sanguine flamas.  
Quid potest esse dementius, quam mortuis humanas  
victimas immolare, et ignem cruore hominum, tam  
quam*

quam oleo, pascere? Non repetam autem, (vt ad Saturninum redeam) quae commenti sunt Interpretes ad emendationem vitiosae, quae in Etrusco est libro, scriptae: nec enim placet Desid. Heraldii *Obseru.* et *Emendat.* Cap. i. Th. Otton. Tom. II. H. Grotii item *Flor. Spars.* p. 215, aliorumque ferro fere quaevisa medicina. Neque Ill. Püttmanno assentior, qui *Adversar. Iur. Vniu. Lib. II. Cap. vlt.* ita accipendum censet, quasi scripsisset Saturninus, *Euentus spectetur, vt ut a clementissimo quoquo cardes fabla sit;* ea enim interpretatio, vt cumque acuta, vereor tamen, vt Latini sermonis ingenio satis conueniat: ne dicam, ab insituto etiam ICti nonnihil aberrare videri. Etenim primum *clementissimus quisquis est,* quicumque, qui videbitur: et tum non *ut* legitur hoc in loco, sed *ut,* nisi id scribendo *VT* ita explices per geminationem. Neque vero illi Saturnini loco simile videri debet illud Ciceronis in *Verrem Lib. I. Cap. 2.* *Accessi enim ad iniuidiam iudiciorum leuandam, vituperationemque tollendam:* *ut, cum haec res pro voluntate populi Romani esset iudicata, aliqua ex parte mea diligentia constituta auctoritas iudiciorum videretur: postremo, ut esset hoc iudicatum, ut finis aliquando iudicioriae controvrsiae constitueretur.* Nam, *ut esset hoc iudicatum,* id est, quomodocumque hoc iudicatum esset: neque geminari velim syllabam cum Ant. Mureto *Variar. Lib. XIV. Cap. 12.* secutisque aliis, sed invito I. Fr. Gronouio *Obseru. Lib. III. Cap. 6.* Nec longe aliter (vt caetera Gronouio notata omittantur) et Caesar dixit de Gall. L. III. C. 9. *At iam, ut omnia contra opinionem acciderent, tamen se plurimum nauibus posse.* Vbi *τὸν ut est pro quamuis.* Itaque et Plinius

## 116 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

*Lib. XXIII. Cap. 2. Surrentinum (vinum) veteres maxime probauere: sequens aetas Albanum aut Falernum. Deinde alia alii iniquissimo genere decreti, quod euique gratissimum, ceteris omnibus promuntiando. Quin, ut constarent sententiae, quota portio tamen mortalium his generibus possit viti? Apud Columellam autem Lib. I. Cap. 1. prope extr. vulgo quidem legis: Nunc quoniam plerosque nostrum ciuilis ambitio saepe euocat, ac saepius detinet euocatos, sequitur, ut suburbanum praedium commodissimum esse putem, quo ut occupato quotidianus excursus facile post fori negotia contingat: et scribi volebat hic quoque Génerus, ut occupato: nos existimamus veram esse lectionem Politiani et Lipsiensis Codicum, vel occupato. Evidem dixi iam nuper, cum de libro eruditissimi Icti sententiam dicerem in Append. III. Biblioth. German. Commun. Seſt. I. p. 430. legendum videri, ut Halander edidit, Euentus speletetur, ut a clementissimo quoquo fabia: hoc sensu, delicta a viro etiam clemente, nec seditioso, commissa puniri, non voluntate, sed euentu inspecto; cum contra in seditionis etiam cogitata scelera, non perfecta adhuc, puniantur. Idque confirmabimus iam, quo de veritate lectionis minus dubitet posthac quisquam, ex Basilicis, quae sic habent Tom. VII. p. 83. D. Ἀποτέλεσμα, ὡς ἐπὶ τῶν ἀμφιτεατομένων ἀπὸ τῶν πρόσων ἀνθρώπων, εἰ καὶ δ νόμος ἐκ ἔνθετος προσέχειν τῷ ἀποτελέσματι: ὡς ἐπὶ τῇ περιόντος ἐνόπλῃ ἐπὶ τῷ Φονεύται. Itemque ex Scholiasta p. 85. C. cuius haec sunt verba: 'Ο μὲν πράσις αὐτὴ καὶ μὴ σασιώδης εἰ λαβάνη ὅπλα ὡς ἐπὶ Φονῷ ἐξέλθῃ, εἰ πολεάστεται ὡς Φονεὺς, εἰ μὴ καὶ τὸ ἀποτέλεσμα γένηται' ἐπὶ τῶν (leg. ἐπὶ τῶν δὲ) σασιώδῶν ἀνδρῶν,*

ἀνδρῶν, καὶ δίχα τε ἀποτελέσματος ὁ σκόπος τιμω-  
ρεῖται· ἐγὰρ εἰ ἐφόνευσε μόνου, τιμωρεῖ αὐτὸν, ἀλλ’  
εἰ καὶ μὴ ἐφόνευσε. διὰ γὰν μόνον τὸ ἐνόπλως παρείηται  
τιμωρεῖ.

V. Emendandam arbitror numeri notam apud Paulum L. 13. D. de Negot. gest. cuius verba Florentiae sunt haec: *Debitor meus, qui mihi quinquaginta debebat, decessit. Huius hereditatis curationem suscepit, et impeundi decem: deinde redacta ex venditione rei hereditariae centum, in arca reposui. Haec sine culpa mea perierunt. Quaestum est, an ab herede, qui quandoque extitisset, vel creditom pecuniam quinquaginta petere possem, vel decem, quae impeendi. Iulianus scribit, in eo verti quaestione, ut animadvertemus, an iustam causam habuerim seponendorum centum. Nam si debuerim et mihi, et ceteris hereditariis creditoribus soluere; periculum non solum sexaginta, sed et reliquorum quadraginta — milium) me praestaturum; decem tamen, quae impenderim, retenturum, id est sola nonaginta restituenda: si vero iusta causa fuerit, propter quam integra centum custodirentur, ne poena traiediciae pecuniae augeatur, aut ex compromisso committeretur; non solum decem, quae in hereditaria negotia impenderim, sed etiam quinquaginta, quae mihi debita sunt, ab herede me consequi posse. Scribendum sine dubio, quicquid obloquatur etiam Glossa, periculum non solum quinquaginta, sed et reliquorum quadraginta me praestaturum; decem tamen, quae impenderim, retenturum. Hoc enim comprobat conuersio Basilica Tom. II. p. 309. D. Οὐ μόνον τὰ πεντήκοντα νομίσματα ἀπόλλω, ἀλλ’ ἐπειδὴ ἔχειν με καταβαλεῖν καὶ ἐμαυτῷ καὶ τοῖς*

## 118 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

δανεισθείς, καὶ ἐπὶ τοῖς λειποῖς ἔγκυρον γένεται· τὰ δὲ δέκα,  
ἄπειρος ἀδαπάργηστα, παρεχειτῶν. Vocem autem,  
miliū, quam velut superfluam et alienam vncis in-  
clusit Taurellus, tuetur quidem ad *L. Lecta Cap. 3.*  
*Tom. I. Opuscular. p. 17.* Bynkershoekius: sed eam  
Florentiae inductam, et ab omnibus editis exemplari-  
bus, et quae manuscripta videre contigerit, abesse mo-  
riet Brencmannus; et ex sequenti, me, enatam, credi-  
bile est. Nec male denique expunxit, mea quidem  
sententia, Haloander ista, *id est sola nonaginta restituenda*, quae ex scholio videntur accessisse, et absunt  
quoque Basilico.

VI. Bene quidem audacissimam correctionem in  
*L. 8. §. 1. D. de Reb. eor. qui sub tutel. a Iac. Voordz*  
*Interpretat. et Emendat. Lib. III. Cap. 5.* tentatam  
rejecit Ill. Püttmannus *Probabil. Iur. Ciu. Lib. II.*  
*Cap. 9. §. 2.* verum tam de lectione, quam de inter-  
pretatione loci a praefstanti <sup>anno</sup> 1500 cogor dissentire.  
Verba haec Vlpiani Florentiae: *Sed si curator sit furio-*  
*si, vel cuius alterius non adulcentis: videndum est,*  
*utrum iure veteri valebit venditio, in hanc oratio-*  
*nem* (Seueri puta de rebus pupilli sine decreto non alienan-  
dis) *admittemus.* Et puto, quia de pupillis prin-  
ceps loquitur, et coniunctim tutoribus curatores acci-  
piunt, pertinere. Et de ceteris puto ex sententia  
orationis idem esse dicendum. Balbutuisse hic paulu-  
lum pro follenni suo Vlpianum ait Püttmannus, acci-  
piuntur vero legendum, vice accipiunt, et haec, quia  
coniunctim tutoribus curatores accipiunt, sic intelli-  
genda, coniungi eos in Oratione Seueri. Ego pri-  
mum, coniuncti, lego cum Vulgatis editionibus, quas  
inspicere datum suit, ipsaque membrana Florentina,  
in

in qua ita scriptum extare testis est in nota apposita Taurellus, in textu Haloandrum secutus: et dein, accipiuntur, repono itidem ex Vulgatis Noricisque libris, et scriptis quibusdam Brencmanni, ut hic sensus sit: Et puto, quia de pupillis Imperator loquitur, et coniuncti tutoribus curatores accipiuntur, hoc est, finita tutela statim curatores accedunt, ad curatores furiosorum et aliorum non adolescentium Orationem Seueri pertinere; et de cetero quoque ob similitudinem rationis idem esse dicendum. Quam lectionem interpretationemque nostram confirmat etiam Accursius, cuius haec est ad hunc locum annotatio: *Et quod dicit, Et puto, soluit de curatoribus adulorum, qui sunt coniuncti tutoribus, eo quod finita tutela ipsi accedunt, ut Inf. Quib. mod. tut. fin. §. fin. et etiam ratione similitudinis.*

VII. Pandectarum quotquot extant formulis typographicis descripta exempla, conueniunt in illo Pauli, quod in pr. L. 6. D. Inr. de Patron. ita legitur: *Adi gere iureinrando, ne nubat liberta, vel liberos tollat, intelligitur etiam is, qui libertum iurare patitur. Sed si, ignorantie eo, suus filius adegerit, stipulatus fuerit: nihil ei nocebit. Certe si iussu patroni is, qui in potestate est, idem fecerit: dicendum est, eum hac lege teneri.* Miror autem, nemini ex eis, qui Pandectas corrigerem professi sunt, suboluisse vitium, quod hisce verbis inest manifestum. Corrigendum, qui libertam iurare patitur. Quod et firmat Baetislipon interpretatio Th. Meerm. Tom. V. p. 1. Ο δρων, η ανεχόμενος δύσται την απελευθέρων, αις ό γαρ ει παρεπονει, εκπίπλει των πατρωνικών. Et contrarium errorem errarunt L. 16. D. de In ius vot. Quaeſi-

tum est, an tutor pupilli nomine patronam suam sine permisso praetoris vocare posse. Respondi, eum, de quo quaeritur, pupilli nomine etiam in ius vocare patronam suam potuisse sine permisso praetoris. Scripsérat Paulus, patronum suum. Sic enim Basilicus Interpres Tom. I. p. 332. B. Ἀπελεύθερος ὄμνυστι τῷ πατέρᾳ αὐτῷ ἐπιτροπευομένος, οὐχὶ χωρὶς ἐπιτροπῆς τῷ πατέρῳ τῶν πάτρωνα. Sub finem autem d. L. 6. ex Vulgatis codicibus Noricoque, et ex Graecis etiam, qui verterunt, τῇ ἀπελεύθερῷ ὄμνυστῃ, ὡς & γαμεῖ, (sic enim, non ὄμνυστῃ γαμεῖν, scribendum) συγχωρεῖται ὁ ὄρκος, pro Florentini exemplaris, permittitur iusurandum, quod Cuiacio Observat. Lib. XXI. Cap. 29. valet pro remittitur, extinguitur, Lipsio ad Tac. Annal. I. Cap. 8. Iac. Gothofredo ad L. 3. C. Th. de Diu. refr. aliisque suffragantibus, ego omnino cum I. F. Gronouio Lib. IV. Observat. Cap. 2. et in Burmanniani Corporis Epistol. Tom. II. p. 612. huncque secuto Abr. Wielingio Lection. Iur. Civil. Lib. II. Cap. 5. reponendum esse censeo, remittitur iusurandum.

VIII. Vlpianus in L. 5. §. 1. D. de S. P. R. Neratius, inquit, libris ex Plautio ait, nec haustum pecoris, nec appulsum, nec tretae eximenda, calcisque coquendae ius posse in alieno esse, nisi fundum vicinum habeat: et hoc Proculum, et Atilicinum existimat, ait. Sed ipse dicit, ut maxime calcis coquendae, et cretae eximenda seruitus constitui posse, non ultra posse, quam quatenus ad eum ipsum fundum opus sit. Et hic Wielingius Lib. I. Lection. Iur. Civ. Cap. 18. probat immutatum a I. G. Hoffmanno Meletem. ad P. Diff. IX. §. 3. verborum ordinem, nec haustum, nec pecoris appul-

*appulsum.* Sed rectius omnino iudicat acutissimus Franc. Car. Conradus, qui correctioni Hoffmannianae in ora libri sui adscripsit: *Imo haec lectio necessario retinenda. Loquitur enim ICtus de iis seruitutibus praediorum rusticorum, quae non regulis iuris definitae, sed inter reales et verbales fluctuabantur. Vide L. 14. §. fin. de Alim. leg.* Haec ille. Leue est, quod addo, *Sed ipse dicit, mox scribendum ex tribus Brenemannii, Sed ipse adicit; Neratius puta ex Plautio allatis, scriptura Florent. Pandectis frequenti, nec tamen peculiari. Nam et Lucretius Lib. III. v. 890. seq.*

*Nec radicitus e vita se tollit, et eicit;  
Sed facit esse sui quiddam super inscius ipse.*

Item Martialis *Lib. IV. Epigr. 54.*

*Nil adicit penso Lachesis, fusosque fororum  
Explicat, et semper de tribus una secat.*

Ac pariter subicit prima breui legitur apud Senecam Tragicum *Othau. v. 827.* vbi vide Viros doctos, et quae Dukerus ad *Flor. L. 1. Cap. 10. p. 79.* quosque laudat Iac. Frid. Heusingerus ad *Mall. de Metr. C. 8.* Vulgati autem codices nostro loco, (vt, vnde deflexi, redeam) Brenemanno etiam iudice, paeferunt, *Sed et ipse adicit, et Haloandrinus, Sed et ipse dicit.* Est que idem error in Vulgatis, quos equidem viderim, omnibus *L. 26. §. 6. D. de Cond. indeb.* vbi pro *Florentini, Idem Marcellus adicit, habent, Idem Marcellus dicit.* In *L. 25. §. 9. D. de Aed. ed.* autem quod Pandectae habent *Etruscae, Praeterea in editio adicitur sic:* ET QVANTA FECVNIA etc. vbi similiter Haloander, dicitur, scripsit pro *adicitur*, ego cum G. Budaeo *Annotat. ad P. Prior. p. 787.* restituendum

cen-

## 122 INTERPRETAT. ET EMENDAT.

censo ex Antiquis, Praeterea in editio adicxitur: Et si quanta pec. et quae sequuntur.

IX. In L. 2. C. de Obsequ. patron. praef. Imp. Alexander rescrit Leontogono: *Libertae, quae voluntate patroni, aut iure nuptiae sunt, non coguntur officium patronis suis praestare.* Et ibi poni aut pro et, monet Accursius. Evidem ego, cum saepe particulas, aut et ac, confuderint librarii, uti Bentleius docet ad Horat. L. II. Serm. 1. v. 31. qui recte, meo quidem animo, apud Plinium quoque Paneg. Cap. 44. extr. *Pauci adeo ingenio valent, ut non turpe honestumque, prout bene aut secus cessit, expetant fugiantur, legebat pro vulgato, bene ac secus, hoc quamvis tuento Schwarzio, etiam hoc loco in disputatione locum reponendam arbitror copulam, ut ita legatur, quae voluntate patroni, ac iure nuptiae sunt; ac statim interponendum moneo ex aliis vetustioribus libris, non coguntur officium patronis suis de cetero praestare.* Sic enim Graeci Thes. Iur. Meermann. Tom. V. p. u. Εὰν ἀπελευθέρα κατὰ γυμνὴ τῇ πάτερων τῇ ιδίᾳ νομίμως γαμηθῇ, ἐκέτι ἀναγκάζεται ὑπηρεσίαν αὐτῷ παρέχειν. Vbi perperam G. O. Reitzius post τῇ ιδίᾳ intercidisse putabat ἢ vel ἦτοι; si Latino, inquiens, Codici fides.

X. Rescriptum dicitur suisse ab Imp. Anastasio in L. 3. C. de Aduoc. diuersi iudicium, ut vulgo est: *Iubemus pro tempore primatem aduocatorum fori viri illustris comitis Orientis, per biennium fasci patroni fungi officio, et folia sibi communi consensu deputata per idem biennium consequi: hoc quoque transactio, professionem aduocationis deponere: confortio videlicet sorundem aduocatorum ad quadraginta tantum viros redi-*

redigendo: ita ut, si qui superflui sunt iam eidem consortio sociati, de aduocationis officio minime reiitiantur: nemine alio eis adiiciendo, ne quadraginta viorum numerum aduocatorum consortium exceedere contingat. Scribo hic primum, hocque transacto; et deinde, nemine alio eis adiiciendo, donec quadraginta virorum numerum aduocatorum consortium non exceedere contingat. Hoc enim sensus exigit: nec alter Graeci Th. Meerm. Tom. III. p. 33. οὐδὲ εἰς μόνον τεσσαράκοντα περισσῶσιν. Quibus obseruatis, addatur et περιθύσερον illud, in L. 8. C. praec. tit. qui de Aduocatis diuersorum iudiciorum inscribitur, legendum esse, a cohortalis, vel alterius vilioris conditoris nexibus; non a cohortis: quomodo et ex hac Theodosii et Valentinianni lege Graeci habent d. l. p. 27. πάσους ταξιωτικῆς, ηγή της χείρονος ἐλευθεράθησαν μετὰ τῶν παιδῶν τύχης. Nec aliud suo in codice Accursium reperisse puto, qui, *Haec cohors*, inquit, *vilium officium*. *Inde cohortalis.* Quamquam vereor, ne ipsa haec glossa corrumpendo loco fuerit.

XI. Iustiniani sunt verba L. 49. §. 7. C. de Episc. et cler. Haec tamen omnia locum habere sancimus; quando non certi xenonis, vel certi ptochothrophii, vel certae ecclesiae nominatio a testatore subsecuta est, sed incertus est eius sensus. Sin autem in personam certam, venerabilem certam domum respexerit, ei tantummodo hereditatem vel legatum competere sancimus, nulla Falcidia nec in hac parte intercedente. Quibus in verbis addubitat Io. Leunclavius Notator: Lib. I. Cap. 21. ne legendum sit, in ecclesiam certam; quia haec ita verterit Ballamo Constatut. Ecclesiast. Collect. Lib. I. Tit. 3. §. 49. Εἰ δὲ εἰς πρόσδηλον, ἐκ

Kochl. Interpr. L. II.

I

αὐθηλον

αδηλον ὄνειρα ἐκπλησίας, ή σύναγες σίκε απόδων πατέλπεν, αὐτὸς μόνος λαμβάνει, μὴ υφισάμενος φαλκίδιον. Ego personae vocabulum mutandum, et locum restituendum video; sed scripserim potius, proprius abiens a scriptura recepta, in xenonem certum.

XII. Paulus *Libro V. Receptar. Sentent. Tit. 4. §. 15.* Carmen facit, inquit, non tautum, qui satyras et epigrammata, sed legitimam insectandi alicuius causam, quidue aliud alio genere componit. Quibus in verbis non dubito vitium quoddam latere. Schultingius sensum aliquem fore ait, si scriptum esset, sed et illegitimum insectandi alicuius causa quid aliud alio genere componit. Quae coniectura ut nec suo auctori satis arrisibile videtur, itidem nec mihi Paulum ita scriptissime fit verisimile, nec, puto, fiet aliis. Mederi post Schultingium voluit eruditissimus Iod. Ioann. Struchtmeyerus *Animaduersion. Criticar. Lib. I. Cap. 13.* rescribendo, sed et elegiam insectandi alicuius causa. Sed iure meritoque hoc quidem displicebat, qui et indicauit nobis Struchtmeyeri coniecturam, II. Püttmanno *Probabil. Iur. Ciu. Lib. I. Cap. 5. §. 8.* et ipse nihil immutandum censebat de vulgata lectione. Ego animum inducor manum primam fuisse, sed et qui librum insectandi alicuius causa. Et quod sequitur, quidue aliud alio genere, hoc ita intelligo: si piętrum forte fecit, aut aliud non scriptum, quod pudorem alicuius laedat. Nam et ita Vlpianus iniuriarum teneri etiam eum scriptis *L. 5. §. pen. D. de Injur. qui επιγέγραμται*, aliudque quid sine scriptura in notam aliquorum produxerit: atque omnia haec carminis appellatione Paulus ait contineri.

---

ADDEN-

## A D D E N D A.

---

Amice Lector,

**A**bsoluta igitur tandem mearum Iuris Civilis Interpretationum impressione, cuius recipiendi operis, vt extremo demum mense Julio ad me venit secundus liber, et quarto ab hinc die primus quoque, chartis et formis luculentis vterque quam correctissime descriptus, vix vlla nuper spes erat, vt et curam eius editionis prope abiecisset; Quinquennium enim fere est, cum mitterem secundum Interpretationum librum ad Amicum Lipsiam, nec longo post tempore priorem quoque iam olim editum, sed auctum varie et correctum, vt curaret nostri laboris editionem: a quo et traditus denique nobili Lipsiensium Typographo, et bono et docto Viro, nunc prodit) itaque postquam excusum totum opus ab eodem Lipsiensi librario accepi, visum mihi est, non ab re fore, si deinceps hic et Addenda quaedam ad vtrumque libellum at texerem, quae vel memoriae non occurrerunt,

ut suis statim inseri possent locis, vel quae longo intervallo editum opus relegenti ex dictis explicanda magis visa, aut mutanda, adscriptis etiam, quae commissa a hypotheticis obuia se dedere, nisi quod minutiora, et quae cuique facile emendare, hic annotare non visum, et his tamen nec magni fere momenti erratis. Illud non nego, desuisse mihi quaedam Critices subsidia, libros aliquot recentiores Scriptorumque veterum editiones: quorum si maior adsuisset nobis copia, et in opere ipso, et in his illi adiiciendis, plura fortasse dedisset ac meliora. Qualiacumque autem ea sint, quae Tibi nunc elargimur, Lector, vel aliquod studio nostro hac scriptione contulisse stipendum non inutile fuerit, nec ingratum fore laborem genuinae Iurisprudentiae et doctrinae solidioris candidatis speramus. Scripti pridie Idus Octobres MDCCXCII.

---

AD

## AD LIB. I.

Pag. 16. versl. 22. lege φησίν, et συνάδει.

P. 18. v. 6. Βαύλει, pro βαύλει.

P. 19. v. 25. suppones. P. 21. v. 17. item, pro  
idem.

P. 22. v. 6. post haec, *habebatur iudicium, deleri,*  
quae statim sequuntur, et supponi oportet: *quam quod*  
*triumpharetur*, nempe Romae a Domitiano facto  
triumpho. Sic enim interpunctionibus distinguendus  
et intelligendus ille Plinii locus, qui nec suppeditati a  
Schwarzio e scriptorum Codicum vestigiis supplementa-  
ti, qui et ipsi iam audaces subierant Criticorum ma-  
nus, neque ullius medicae indiget opis, cum, ut vul-  
go habetur, procul dubio sit sanissimus. Dixitque  
idem Tacitus in *Agricola Cap. 39*. *Inerat conscientia*  
*derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum,*  
*emptis per commercia, quorum habitus et crines in*  
*captiuorum species formarentur*. Et *German. Cap.*  
*37. extr. proximis temporibus hostes ait fuisse triun-*  
*phantos magis, quam viros*. Eumdemque Tacitum,  
postquam facta eius est mentio, testatum sit obiter, cum  
et dudum idem monuerit callentissimus Latinarum ele-  
gantiarum I. Fr. Gronovius *Obseru. L. III. C. 2.* ipsum  
quoque exquisito isto usum videri loquendi compen-  
dio *Annali VI. Cap. 35. Variae hinc, inquit, bel-*  
*lantium species, cum Parthus sequi vel fugere pari-*  
*arte suetus distraheret turmas, spatium istib[us] que-*  
*reret; Sarmatae, omisso arcu, quo brevius valent,*  
*contis gladiisque ruerent*. Interpretatur quidem Pi-  
chena, *brevius valent, breui temporis spatio, seu pri-*

mis congressibus, quasi non diu soleant arcu praeliari. Cuius mentem et vernaculaus Taciti fecutus Interpres, I. Sam. Müllerus, illa postrema sic reddidit: *da die Sarmaten hingegen, anstatt des Bogens, dessen sie sich nicht lange bedienen können, mit Stangen und Schwertern auf den Feind losgiengen.* Et Celeb. Ernestus quoque, qui recta quo diximus loco monentem Gronovium forte non legerat, nihil impedire arbitratur, quo minus *breuius* pro breuiter dictum accipiamus, non diu. Sed hoc neminem puto veterum dixisse *breuius valere arcu*, potiusque retulerim τὸ quo ad contos gladiosque, ut sit sententia: quo armorum genere breuius valent, hoc est, cominus appliciti, omisso ob loci vitium arcu. Ac pariter etc.

P. 22. v. 20. pro *Grammianus Codex*, lege, *Crammianus Codex*.

P. 23. v. 14. leg. et pater eius.

P. 24. v. antepenult. quo φόρες appellantur fures.

P. 28. v. 2. post haec verba, *ad Περὶ τὰ h. t. §. 3. p. 153.* addatur: et in annotatione adscripta Brencianum.

P. 34. v. 11. lege, *quam futuis.* V. 25. contra illum.

P. 37. v. 28. corrig. L. 15. pr. D. de Legat. praef.

P. 40. v. 23. *pacemque et viiōriam*, deleta voce, *ei.*

P. 44.

P. 44. v. 17. verbum, hisce, deleatur.

P. 49. v. 13. post verbum, *perceptionio*, inferantur haec: Atque eodem modo vius est duobus genitiis Tacitus Lib. I. Histor. Cap. 71. Marium Cetsum, consulem designatum, per speciem vincolorum sociitiae militum substratum, acciri in Capitolum iubet: clementiae titulus e viroclaro, et partibus inuiso petebatur. Celsus, constanter seruatae erga Galbam fidei crimen confessus, exemplum ultra impunitus. Nec Otho, quasi ignorosceret, sed ne hostis metu reconciliationis adhiberet, statim inter intimos amicos habuit, et mox bello inter duces elegit: mansisque Celso, velut fataliter, etiam pro Othonem fides integra et infelix. Sed Interpretes, quotquot hunc attigerunt locum, immane quantum a vero aberrasse video, et in totum non intellexisse praestantissimi Scriptoris mentem, dum in anibus scripturam vexant conjecturis procul dubio fannissimam. Censebat Lipsius emendandum, sed nec hostis metu reconciliationi se adhiberet, vt duo dixerit causisse Othonem: ne aut ignoscere videretur, vt in vero magnoque crimine: (quod quidem ego hic in Celso nullum video) aut ne hostis, id est, Vitellii metu, adsciscere sibi virum nobilem et fortis. Utque ceteros omittam, nuper et Ernestus cum reperisset in MSto Guelpherbytano τὸ quasi repetitum post metum, suspicatus est fuisse, ne hostis metum falsae, vel fictae, reconciliationis adhiberet, scil. Celso, aut omnino omnibus, hoc sensu; Verebatur, ne, si Celsus non exquisita humanitate tractaret, hostis Vitellius auerteret ceteros ab Othonem, suspicione fictae reconciliationis admouenda animis. Sed nihil, vt dixi, corrigendum,

dum, ac longe alio sensu hoc voluit Cornelius, Othonem, non quasi ignosceret, sed ne reconciliati nunc demum hostis, Celsi nimirum, metum adhiberet, statim habuisse inter intimos amicos Celsum.

P. 57. v. 6. post verba, *Fata queat*, adde: nec ibi legendum, *avertere*, cum I. Fr. Gronouio *Obsernat*. *Lib. I. Cap. 2.*

Ead. pag. v. 16. pone comma post *decori*.

P. 73. v. 2. lege, adiective accepto vocabulo.

P. 80. v. 3. haec sufficient.

P. 90. v. 21. τετραπλός.

P. 97. v. 2. post *filii*, dele comma.

P. 111. post verba, *Flor. Spars. p. 140.* deletis istis, *Alli fortasse aliter*, adscribantur haec: Bynkershoekius in nota apposita mallet, *nec*, pro *sed*: Gebauero autem videbatur legendum simpliciter, *et profusa erga se facilitate*; puta, spoliarentur.

P. 115. v. 24. leg. fuerit pronuntiatum, pro *appel-*  
*latum*.

## A D L I B. II.

P. 11. v. 2. post verbum, fiat, addantur haec: Item *Lib. VII. Cap. 50.* Incertum ac fragile nimium est hoc munus naturae, quicquid datur nobis: malignum vero et breve etiam in his, quibus longissime contigit, universum utique aeuī tempus intuentibus. Quid, quod aestimatione nocturnae quietis, dimidio quisque spatio  
vitae

*vitae suae vinit? Pars aequa morti similis exigitur, aut poenae, nisi contigit quies. Nec reputantur infantes anni, qui sensu carent: non senectae, in poenam viuacis.*

Ead. v. 18. post *formam*, dele comma.

P. 12. v. 20. post haec verba, *ingenio flat sine morte decus*, interseri velim ista: Et ab hoc corruptelae modo nuper quoque damno auctum vidi Quintilianum loco insigni et elegantissimo *Institut. Orat. Lib. IV. Cap. 3.* cui ut eluatur macula illa commodius, a nemine adhuc, quod equidem sciam, exempta suauissimo Scriptori, apponemus integrum eum locum. *Intundisma*, inquit, *sunt lenia*, et (*ut sic dixerim*) *boni flomachii*: *ut Afer ingrato litigatori conspectum eius vitanti in foro, per nomenclatorem missum ad eum, Amas me, inquit, quod te non vidi.* Et *dispensatori*, qui, cum *ad reliqua non responderet*, dicebat subinde, *Non comedи panem, et aquam bibo: Pasce, et redde quod debes.* Quae  $\delta\pi\alpha\gamma\omega\rho\circ\circ$  vocant. *Salmasium* quidem ad *Spartiani Hadr. Cap. 7.* legentem, *cum reliqua non responderent*, et in *Addendis*, *non responderet*, iam remouisse videatur summus *Io. Frid. Gronouius Observ. Lib. II. Cap. 4.* et recte quoque exposuisse idem ista, *Pasce, et redde quod debes.* Quod tam ineptum praeceperat tamen iam raro in re Critica acutum videns *Ian. Gebhardus Crepundior. Lib. III. Cap. 1.* qui et hoc ex MS. Palat. ait reponere in hominem tenuis victus et aquae potorem conuicium. Sed neque *Gronouium* probo sufficientem istis, *Non comedи panem, Nigrum edo panem:* quam suspicionem tamen vellem adscriptis-

set P. Burmannus in sua editione, quae nunc sola apud nos est, loco manifeste vitioso. Legam ipse mitiore ac meliore, ut reor, coniectura, *Non comedi praeter panem*, retracta nimurum, quae effugerat, voce. Dispensator igitur cum reliquaretur, ingerebat appellatus suam frugalitatem, dicebatque subinde, se non comedisse praeter panem, nec bibere nisi aquam, neque adeo per luxum consumpsisse herilem pecuniam. Sed ei Afer, Tu vero vel *pascere*, inquit, id est, laetus et luxuriosius epulare: modo reddas, quod debes. Quo sensu Marcialis quoque eam vocem *vsls Lib. IX. Epigr. 81.* quod contra quemdam Gellium scripsit, qui pauper vxorem duxerat diutinem, his verbis:

*Duxerat esuriens locupletem pauper, anumque  
Vxorem: pascit Gellius, et futuit.*

Hic enim et haud dubie frustra est idem P. Burmannus ad *Gratianum v. 348.* dum mutata legit distinzione sensuque obsceniore, *Vxorem pascit Gellius*, nimurum fellatricem.

P. 13. v. 10. annotauit, corrigé, annotauerit.

P. 15. v. antep. et idem, emenda, et item.

P. 25. v. 17. post verbum, *legendum*, subiiciantur ista: Sic Cicero *Lib. I. de Inuent. Cap. 17.* *Sin res dabit, non inutile est, ab aliqua re nova, aut ridicula incipere, aut ex tempore quae nata sit; quod genus strepitum, acclamationem: aut iam parata, quae vel apogenum, vel fabulam, vel aliquam contineat irrisio nem: aut, si rei dignitas admittat iocandi facultatem, aliquid triste, nouum, horribile, statim non incommo dum*

*dum est iniicere.* Ita enim pungendum. *Quod genus strepitum, acclamationem, id est, cuiusmodi res aut strepitum contineat, aut acclamationem.* Ne enim iustae videatur aduersari loquendi consuetudini, quod dependeant ista, *strepitum, acclamationem*, post interiecta alia a sequenti, *contineant*, prorsus simile est illud Propertii *Lib. II. Eleg. 1. v. 5. et seqq.*

*Sive illam Cois fulgentem incedere totis,  
Totum de Coa ueste volumen erit;  
Seu vidi ad frontem sparzos errare capillos,  
Gaudet laudatis ire superba comis.*

Quod et hanc ipsam ob causam mutandum censebat  
Io. Schraderus V. C. *Obseruation. Lib. II. Cap. 6.* re-  
ponens ex vno Vossiano, *fulgentem incedere vidi, sed*  
*nec probante Cel. Burmanno Secundo.*

P. 36. v. 2. post *aduocauit*, adde: et Rhedigerani,  
teste Gebauero.

P. 37. v. 19. vocem, quae excidit, adscribendum:  
*tacita bona'ft mulier semper, quam loquens.*

P. 39. v. 18. leg. *L. 3. C. de Reb. cred.*

P. 48. v. 13. *et optimi consulis.*

P. 50. v. 24. distinctione peccatum est, vt et alibi  
interdum, hoc maxime libro, in Graecis, vbi nec iudi-  
care visum, cum facile sit cuius tales emendare men-  
das. Ponendum vero punctum hic post *διδασκει*, et  
*Παλαιον*, et *τειχη*.

P. 52. v. 17. post verba, d. L. 9. §. 1. deleri quae sequuntur, et supponi velim haec: quamvis recte etiam Cinna scribat, honestatis habita ratione, apud Vlpianum L. 6. D. de Rit. nupt. eum, qui absens accepit uxorem, (ita enim potius legendum cum P. Fabro Se-mistr. Lib. II. Cap. 23. p. 348. extr. quam ut vulgo, absentem uxorem) deinde rediens a cena iuxta Tiberim perisset, ab uxore lugendum, responsum esse.

P. 56. v. 12. post haec verba, quod tamen minus probabile videtur, adiiciantur ista: Idque et nuper demum post haec scripta et typis data bene iam observatum reperi ab Ill. Schotto in *Quadriga Observatio-nis Forensis* edita Lipsiae 1780. *Observ. I.* p. 4. quo loco in *Ordinat. Matrimon.* praefinitum luctui viduarum annum ad secundas tantum earum nuptias, non aequae ad tristiorum habitum spectare scribit; et contra quae *Mandato d. d. 7. Mart. 1750. de luctu com-pescendo* circa tempus luctus a vidua muliere obseruandum cauta sunt, ad solum vestitum pertinere lugubrem.

P. 69. v. vlt. adscripto, cuius mentio excidit, libro lege: Ex notis V. C. Io. Cannegieterus *Disquis. de Notis p. 305.* corrigebat, S. ED. i. e. sine edita.

P. 72. v. 19. scribe: Λέκιος δὲ Τίτιος (ita enim legendum, non Λέκιος δὲ τίς, ut et libris in Pandectarum Vulgatis esse diximus, *Lucius Titius*) αὐτένω.

P. 80. v. 2. et insanum, pro ad insanum.

Eadem v. 15. post verbum, nocet, ponantur haec: Posset et legi propius ad corruptae lectionis vestigia,

Hoc

*Hoc salamandra potens, vel saeva nouacula nudet.*

Ita Samonicus Serenus Praeceptor. *Medic.* v. 105. seqq.

*Defluit expulsus morbo latitante capillus,  
Si raro lauitur, seu vis epota veneni,  
Seu salamandra potens, nullisque obnoxia flammis,  
Eximum capitis tacu deiecit honorem.*

Quem id accepisse fortasse an arbitrere a Martiale, nisi frequens esset Sereno epitheton *potens*. Sed certe melior et haud dubie verissima scriptura est, quam posui, Berolinensis.

P. 81. v. 23. *lege, ne mea sint.*

P. 85. v. 6. post haec verba, *Preces amantis*, subiungantur ista: At contrarium plane errorem corrigendum apud Propertium *Lib. I. Eleg. i. v. 17.*

*Et quaecunque voles, fugient te verba querentem;  
Nec poteris, qui sis, aut ubi, nosse miser.*

Perperam editur, *fugient tibi verba querenti*, quamvis et Passeratio et Broukhufio non displiceret, accipientibus pro obmutefees, sed reluctante natura Latini sermonis; censemque acutissimus Santenius legendum,

*Et quaecunque volet, fugient tibi verba querenti,*  
i. e. ex ore fluent, evolabunt verba, quaecumque volet ac praescribet Cynthia, et valde laudante, quod miror, Cel. Burmanno. Nostram enim emendationem, nisi totus forte hallucinor, poscit ac pene efflagitat versus proxime sequens.

Pag. 88. v. 6. post *Bassa solet*, omissa haec velim  
inseri: Fide Palatini sui dedit Gruterus,

*Istud, quae non est, dicere, Bassa, solet.*

P. 98. v. 2. scribe, *archetypum est.* Ibid. v. 19.  
*istum.*

P. 101. v. 23. luciae intelligentem non infames  
laudes.

## INDEX

*INDEX LEGVM,  
QVAE HIS IN LIBRIS VEL CORRI-  
GVNTVR VEL EXPLICANTVR.*

*Numerus Romanus librum, barbarus paginam notat.*

*EX INSTITUTIONIBVS.*

§. 16. de Actionibus.	I. 31.
§. 2. de Hereditat. quae ab intest. defer.	I. 96.
§. 2. de Interdict.	I. 31.
§. vlt. de Nuptiis.	I. 92. seqq.
§. 2. de Obligation.	I. 31.
§. 2. de Societ.	I. 60. et seq.
§. 1. de Tutelis.	I. 25.

*EX PANDECTIS.*

L. 43. de Adoption.	II. 66.
L. 6. §. 1. ad Sct. Trebellian.	II. 63.
Ead. L. §. 2.	II. 62.
L. 4. §. 1. de Aedilit. edit.	I. 104.
L. 23. §. 3. eodem.	I. 49. seq.
L. 25. §. 9. eod.	II. 122.
L. 2. A. quib. appell. non lic.	I. 121.
L. 12. §. vlt. de Bonor. possif.	I. 31.
L. 1. §. 1. de Calumniat.	II. 63.
L. 12. pr. de Captiu. et de postlimin.	I. 66.
L. vlt. Commun. praedior.	II. 24. et seqq.
L. 26. §. 6. de Condit. indeb.	II. 122.
L. 1. pr. de Condit. et demonstrat.	II. 66.
L. 27. eodem.	I. 110.
L. 1. §. vlt. Deposit.	II. 109.
L. 1. §. 2. de Dol. mal.	I. 35.
L. 7. pr. eod.	I. 45. et seqq.
L. 1. de Donat. int. vir. et vx.	I. 111.
L. 12. pr. de Duob. reis constituend.	I. 35.
L. 8. §. 1. de Edendo.	I. 102.
L. 32. Ex quib. cauf. maior. in integr. restit.	I. 122.
L. 2. de Fide instrument.	I. 108. II. 74. L. 1.

<i>L. 1. pr. de Furtis.</i>	<i>I. 24.</i>
<i>L. 21. §. 1. eod.</i>	<i>I. 105.</i>
<i>L. 23. eodem.</i>	<i>II. 60.</i>
<i>L. 32. §. 1. eod.</i>	<i>I. 25.</i>
<i>L. 72. eod.</i>	<i>II. 72.</i>
<i>L. 10. de Hereditib. instituend.</i>	<i>I. III. II. 70.</i>
<i>L. 23. pr. de Heredit. petit.</i>	<i>II. III.</i>
<i>L. 1. §. 4. de His quae in testam. del.</i>	<i>I. 26.</i>
<i>L. 1. de His qui not. infam.</i>	<i>II. 44.</i>
<i>L. 8. eodem.</i>	<i>II. 45.</i>
<i>L. 11. §. 1. eod.</i>	<i>II. 46.</i>
<i>L. 23. eod.</i>	<i>II. 58.</i>
<i>L. vlt. pr. eod.</i>	<i>II. 58.</i>
<i>L. 1. pr. de Iniur. et fam. libell.</i>	<i>I. 30.</i>
<i>L. 5. §. pen. eod.</i>	<i>II. 124.</i>
<i>L. 7. §. 1. eod.</i>	<i>II. 113.</i>
<i>L. 15. §. 4. eod.</i>	<i>I. 73.</i>
<i>Ead. §. 15.</i>	<i>II. 77.</i>
<i>L. 15. de In ius vocando.</i>	<i>I. 3.</i>
<i>L. 16. eodem.</i>	<i>II. 120.</i>
<i>L. 30. de Iudiciis.</i>	<i>I. 10.</i>
<i>L. 57. eodem.</i>	<i>I. 9. seq.</i>
<i>L. 57. in fin. de Iure dot.</i>	<i>I. 105.</i>
<i>L. 6. pr. de Iure patronat.</i>	<i>II. 119.</i>
<i>Ead. §. vlt.</i>	<i>II. 120.</i>
<i>L. 40. de Legat. I.</i>	<i>II. 23.</i>
<i>L. 91. §. 6. eod.</i>	<i>II. 19. 20.</i>
<i>L. 114. §. 6. eod.</i>	<i>II. 23.</i>
<i>L. 49. §. 2. de Legat. II.</i>	<i>II. 21.</i>
<i>L. 11. §. 16. de Legat. III.</i>	<i>II. 23.</i>
<i>L. 23. eodem.</i>	<i>I. 25.</i>
<i>L. 49. pr. eod.</i>	<i>II. 79.</i>
<i>L. 29. §. 7. de Liber. et postum.</i>	<i>II. 33.</i>
<i>L. 28. §. 4. de Liberat. legata.</i>	<i>I. 11. seq.</i>
<i>L. 31. §. 2. eodem.</i>	<i>I. 15.</i>
<i>L. 8. §. 9. Mandati.</i>	<i>II. 109.</i>
<i>L. 12. §. 11. eod.</i>	<i>I. 114.</i>
<i>L. 44. eod.</i>	<i>II. 109.</i>
<i>L. 56. §. 3. eod.</i>	<i>I. 24.</i>
<i>L. vlt. de Manumissionibus.</i>	<i>II. 25.</i>
<i>L. 3. §. 6. de Minorib. XXV. ann.</i>	<i>I. 41.</i>
<i>L. 18. §. 1. eodem.</i>	<i>II. 16.</i>
	<i>L. 13.</i>

L. 13. de Negot. gest.	II. 117.
L. 18. eodem.	I. 33.
L. 21. pr. eod.	I. 35.
L. vn. §. 2. et 3. Nihil innou. appellat. interpos.	I. 115. seq.
L. 30. de Operis libert.	I. 24.
L. 2. §. 5. de Orig. Iuris.	II. 62.
Ead. §. 11.	II. 64.
Ead. §. 12.	II. 65.
Ead. §. 33.	II. 32.
L. 1. pr. de Patis.	I. 17. 26.
L. 4. §. vlt. eod.	I. 32.
L. 5. pr. eod.	II. 68.
Ead. §. 1. eod.	II. 67.
L. 7. §. 6. eod.	I. 32.
Ead. §. 11.	I. 37. seq.
Ead. §. 12.	I. 36. seq.
Ead. §. 16.	II. 22.
L. 10. pr. eodem.	I. 38.
L. 17. §. 3. eod.	I. 43.
L. 22. eod.	I. 44.
L. 23. eod.	I. 44.
L. 11. §. 8. de Peculio.	I. 42.
L. 36. eodem.	II. 109.
L. 16. §. 8. de Poenis.	II. 116.
L. 34. de Procuratoribus.	II. 70.
L. 43. §. 6. eodem.	I. 32.
L. 17. pr. Pro sociio.	I. 103. seq.
L. 29. §. 1. eod.	I. 54.
L. 30. Pro sociio.	I. 52. seqg.
L. 52. §. 3. eodem.	I. 51.
L. 1. §. 23. de Quæfition.	II. 36.
L. 9. eodem.	II. 39.
L. 16. §. 2. Quand. dies legator. ced.	II. 20.
L. 22. eodem.	I. 31.
L. 10. Qui satisd. cogantur.	I. 28.
L. 40. de Reb. credit.	I. 48.
L. 5. §. 2. de Reb. eor. qui sub tut.	II. 6.
L. 8. §. 1. eod.	II. 119.
L. 41. §. 1. de Recept. qui arbitr. recep.	II. 15.
L. 6. §. 1. de Religios. et sumptib. fun.	I. 78.
L. 9. eodem.	I. 24.
L. 14. §. 4. eod.	II. 110. seq.
Koehl. Interpr. L. II.	K
	L. 37.

L. 37. pr. eod.	II. III.
L. 6. de Rit. nupt.	II. 52. 134.
L. 47. eodem.	II. 76.
L. 5. §. 1. de Seruitut. praedior. rustic.	II. 121.
L. 11. eodem.	II. 30.
L. vn. §. 1. Si quis ius dic. non obtemp.	I. 29. seq.
L. 13. de Stat. hom.	I. 6.
L. 15. eodem.	I. 2.
L. 3. §. 5. de Testibus.	I. 114.
L. 14. de Transaction.	I. 12. 30.
L. 1. pr. de Tutelis.	I. 25.
L. 93. de Verbor. signif.	I. 30.
L. 195. §. 2. eodem.	I. 26.
L. 236. §. 1. eod.	I. 24.
L. 2. §. 1. de Vi bonor. raptor.	I. 121.
L. 33. de Vjur. et fruct.	II. 73.
L. 26. de Vulg. et pupill. subflit.	II. 32. 34.
L. 36. pr. eodem.	I. 123.

## EX CODICE.

L. 22. §. 8. de Administr. tut.	II. 49.
L. 4. ad SCt. Tertull.	II. 47.
L. 6. pr. ad SCt. Vellei.	I. 43.
L. 8. de Aduoc. diuers. iudicior.	II. 123.
L. 3. de Aduoc. diuers. iudicium.	II. 123.
L. 4. de Crim. expil. heredit.	I. 48. seq.
L. 29. C. de Episc. et cler.	I. 86. seqq.
L. 42. eodem.	I. 88. seqq.
L. 49. §. 7. eod.	II. 124.
L. 53. §. vlt. eod.	II. 47.
L. 4. Ex quib. caus. infam. irrog.	II. III.
L. 15. eodem.	II. 52.
L. 22. de Fideiusfor.	I. 81. seq.
L. vlt. de His qui sibi adscrib. in testam.	I. 112.
L. 10. de Natural. liber.	I. 96.
L. 1. Ne fil. pro patr.	I. 118.
L. 2. de Obsequ. patron. praefstand.	II. 122.
L. 1. pro Socio.	I. 60.
L. 1. §. 1. de Quæstion.	II. 39.
L. 8. §. 4. de Repud.	II. 47. 52.
L. 9. eodem.	II. 52.
L. vlt. de Reuoc. donat.	I. 113.
	L. 26.

<i>L. 26. de SS. eccles.</i>	- - - - -	<i>I. 85. seq.</i>
<i>L. 1. de Secund. nupt.</i>	- - - - -	<i>II. 47. 49.</i>
<i>L. 3. §. 2. eodem.</i>	- - - - -	<i>II. 49.</i>
<i>L. 5. et 6. eod.</i>	- - - - -	<i>II. 49.</i>
<i>L. 3. de Summa Trinit.</i>	- - - - -	<i>I. 84. seq.</i>
<i>L. 20. de Transaction.</i>	- - - - -	<i>I. 16.</i>

*EX NOVELLIS.*

<i>Nou. XXII. Cap. 16.</i>	- - - - -	<i>II. 52.</i>
<i>Ead. Cap. 23. seqq.</i>	- - - - -	<i>II. 49.</i>
<i>Nou. LIII. Cap. 5.</i>	- - - - -	<i>I. 97. seqq.</i>
<i>Nou. XCVII. Cap. 4.</i>	- - - - -	<i>I. 100.</i>
<i>Nou. CIX. Cap. 1.</i>	- - - - -	<i>I. 126.</i>
<i>Nou. CXVII. Cap. 11.</i>	- - - - -	<i>II. 50.</i>

*EX IVRE CANONICO.*

<i>c. 7. C. 2. qu. 3.</i>	- - - - -	<i>II. 53.</i>
<i>c. pen. et vlt. X. de Secund. nupt.</i>	- - - - -	<i>II. 53.</i>

*EX IVRE RECENTIORE.*

<i>Editi. Frider. II. Boruff. R. d. d. 26. Jul. 1747.</i>	<i>II. 56.</i>
<i>Lex Sax. Eleff. d. d. 7. Mart. 1750 wegen Abstiel.</i>	
<i>und Einschr. der überm. Trauer.</i>	<i>II. 56. 134.</i>

*Ord. Matrimon. Sax. d. a. 1624.*      *II. 55. 134.*

## INDEX

*AVCTORVM VETERVM,  
QVI EMENDANTVR AVT ILLVSTRANTVR.*

---


- Accursius.* - I. 3. 5. 14. 26. 43. 44. 47. 110. 111. 116. 122.  
II. 16. 19. 32. 51. 65. 73. 117. 119. 122. 123.  
*Acta Apostolorum.* - I. 23. II. 15.  
*Aeschylus.* - - - - I. 18.  
*P. Albinougnus.* - - - - II. 87.  
*Alciphron.* - - - - I. 64. 90.  
*Anianus IC.* - - - - I. 105.  
*Anthologia Latina.* - - - - I. 58. II. 102. 107.  
*Autiphon.* - - - - II. 33.  
*Apuleius.* - - - - II. 48.  
*Ariophanes.* - - - - I. 19. 20. II. 36.  
*Arnoldus Lubecensis.* - - - - I. 22.  
*Arrianus.* - - - - II. 16.  
*Athenaeus.* - - - - II. 12.  
*Auctor Rhetor. ad Herenn.* - - - - I. 49.  
*Augustinus.* - - - - II. 40.  
*Balsamo.* - - - - I. 84. 85. 86. II. 123.  
*Basilica, et eorum Scholiaflae.* - I. 5. 6. 10. 28. 31. 32.  
37. 45. 73. 83. 85. 87. 93. 98. 103. 104. 114. 116.  
II. 3. 6. 22. 39. 45. 47. 50. 58. 60. 67. 72. 73. 75.  
77. 108. 113. 116. 119. 120. 122. 134.  
*Basilicorum Synopsis.* - - - - I. 98. II. 51.  
*Brachylogus Iuris.* - - - - I. 24.  
*I. Caesar.* - - - - II. 69. 115.  
*Callimachus.* - - - - I. 20.  
*Catullus.* - - - - II. 63.  
*Cicero.* - I. 29. 49. 106. II. 8. 9. 10. 37. 63. 86. 87.  
99. 115. 132.  
*Claudianus.* - - - - I. 34. 56. II. 25. 93. 104.  
*Collatio legum.* - - - - I. 114.  
*Columella.* - - - - II. 70. 116.  
*Dio Cassius.* - - - - II. 51.  
*Diodorus Siculus.* - - - - II. 15.  
*Euripides.* - - - - I. 18. 19. 106.  
*Gellius.* - - - -

|                                   |                                     |  |                            |
|-----------------------------------|-------------------------------------|--|----------------------------|
| <i>Gellius.</i>                   | -                                   | -  | <i>I. 40. 58. II. 112.</i> |
| <i>Glossae nomicae.</i>           | -                                   | <i>I. 62. et seqq. usque ad 80.</i>      |                            |
| <i>Gratius.</i>                   | -                                   | -  | <i>II. 106.</i>            |
| <i>Gregorius Nazianzenus.</i>     | -                                   | -  | <i>II. 48.</i>             |
| <i>Harmenopulus.</i>              | -                                   | <i>I. 71. II. 22.</i>                    | <i>50. 68.</i>             |
| <i>Herodotus.</i>                 | -                                   | -  | <i>I. 90.</i>              |
| <i>Homerus.</i>                   | -                                   | -  | <i>I. 17. II. 36.</i>      |
| <i>Horatius.</i>                  | -                                   | -  | <i>I. 110. II. 80.</i>     |
| <i>Ioannes Evangelista.</i>       | -                                   | -  | <i>I. 23.</i>              |
| <i>Iulianus IC. Constantinop.</i> | -                                   | -  | <i>I. 98.</i>              |
| <i>Iustinus.</i>                  | -                                   | -  | <i>II. 112.</i>            |
| <i>Laffantius.</i>                | -                                   | -  | <i>I. 125. II. 114.</i>    |
| <i>Liuius.</i>                    | -                                   | -  | <i>I. 42. II. 33. 97.</i>  |
| <i>Longus.</i>                    | -                                   | -  | <i>I. 90.</i>              |
| <i>Lucanus.</i>                   | -                                   | -  | <i>I. 38. II. 89. 104.</i> |
| <i>Lucianus.</i>                  | -                                   | -  | <i>I. 21.</i>              |
| <i>Lucretius.</i>                 | -                                   | -  | <i>I. 40. 56. II. 121.</i> |
| <i>Manilius.</i>                  | -                                   | -  | <i>I. 57. II. 82.</i>      |
| <i>Martialis.</i>                 | <i>I. 33. 34. 108. 110.</i>         | <i>II. 79. ad 107. 121.</i>              |                            |
|                                   | <i>132. 135.</i>                    |  |                            |
| <i>Nonius.</i>                    | -                                   | -  | <i>I. 74. II. 99. 104.</i> |
| <i>Oppianus.</i>                  | -                                   | -  | <i>II. 37.</i>             |
| <i>Ouidius.</i>                   | <i>I. 5. 39. 40. 106. 107. 112.</i> | <i>II. 37. 82. 87.</i>                   |                            |
|                                   | <i>88. 96. 97. 103. 105.</i>        |  |                            |
| <i>Paulus Apostolus.</i>          | -                                   | -  | <i>II. 57.</i>             |
| <i>Paulus IC.</i>                 | -                                   | <i>I. 105. II. 58. 74. 124.</i>          |                            |
| <i>Phaedrus.</i>                  | -                                   | -  | <i>II. 104.</i>            |
| <i>Plautus.</i>                   | -                                   | <i>I. 125. II. 37. 63. 79.</i>           |                            |
| <i>Plinius.</i>                   | -                                   | -  | <i>II. 116.</i>            |
| <i>Plinius Iunior.</i>            | -                                   | <i>I. 21. 56. 112. II. 63. 122. 126.</i> |                            |
| <i>Plutarchus.</i>                | -                                   | -  | <i>II. 17. 42. 51.</i>     |
| <i>Propertius.</i>                | <i>I. 52. 57. 58. 59.</i>           | <i>II. 12. 84. 101. 103.</i>             |                            |
|                                   | <i>105. 133. 135.</i>               |  |                            |
| <i>Prudentius.</i>                | -                                   | -  | <i>II. 100.</i>            |
| <i>Psalmi.</i>                    | -                                   | -  | <i>I. 23.</i>              |
| <i>Pselii Synopsis Legum.</i>     | -                                   | -  | <i>I. 65. II. 68.</i>      |
| <i>Quintilianus.</i>              | -                                   | -  | <i>II. 13. 131.</i>        |
| <i>Rufinianus Rhetor.</i>         | -                                   | -  | <i>II. 13.</i>             |
| <i>Rutilius Lupus.</i>            | -                                   | -  | <i>II. 17.</i>             |
| <i>A. Sabinus.</i>                | -                                   | -  | <i>II. 87.</i>             |
| <i>Sallustius.</i>                | -                                   | -  | <i>I. 21. 40. 58.</i>      |
| <i>Scholiares Sophoclis.</i>      | -                                   | -  | <i>I. 100. II. 36.</i>     |
|                                   |                                     |  | <i>Sedulius.</i>           |


|                              |            |                              |
|------------------------------|------------|------------------------------|
| <i>Sedulius.</i>             |            | I. 108. 125.                 |
| <i>L. Seneca.</i>            | I. 124.    | II. 11. 17. 90. 99.          |
| <i>Seneca Tragicus.</i>      |            | I. 55. II. 121.              |
| <i>Serenus Samonicus.</i>    |            | II. 135.                     |
| <i>Sophocles.</i>            |            | I. 19. 100. II. 36.          |
| <i>Statius.</i>              |            | I. 4.                        |
| <i>Suetonius.</i>            | I. 50.     | II. 9. 33. 69. 86. 108. 112. |
| <i>Suidas.</i>               |            | I. 78.                       |
| <i>Tacitus.</i>              |            | II. 65. 127. 129.            |
| <i>Tertullianus.</i>         |            | II. 48.                      |
| <i>Theophilus IC.</i>        | I. 63. 70. | 75. 86. 92. II. 22.          |
| <i>Tibullus.</i>             |            | II. 94. 105.                 |
| <i>Valerius Flaccus.</i>     |            | I. 57.                       |
| <i>Vegetius Molumedicus.</i> |            | II. 71.                      |
| <i>Velleius.</i>             |            | I. 4. II. 12.                |
| <i>Virgilius.</i>            | I. 17. 36. | 52. 56. 59. II. 85.          |
| <i>Vivianus.</i>             |            | II. 27. 28. 54.              |
| <i>Xenophon.</i>             |            | I. 20. 21.                   |

---









Kc 1813

6018

ULB Halle  
007 679 440

3




M



B.I.G.

Black  
White  
3/Color



IO. BERNARDI KOEHLERI IC.  
INTERPRETATIONVM  
ET  
EMENDATIONVM  
IVRIS ROMANI  
LIBER SECUNDVS.



LIPSIAE  
APVD IO. G. EMMAN. BREITKOPF ET SOC.  
M D C C X C I L